




M66. 6.



N. 8:

- Hermann ist
1. de iudicata synodo.
 2. despissa melancthonis ad script.
 3. Cleri Colon.
 4. Septentrix melancthonis ser.
 5. melancthonis oratio in
funere Lutheri
 6. Ioh. Tursteni de Baptis
et Cass. Crucigeri de clono In
terpretationis in Ecclesia.
Stigeli'stegiade herba Teueri.
 7. Paoli Gberi trist. Iudaorum a sol.
capt. Babyl. — ad chrem
 8. Iac. Sadoletri epila ad Senatum Gene
vensem c. response latini.
 9. Lutheri Epila ad Georg. Br. Enhalt
sup oborlo 1. Hebr.
 10. melancthonis oratio ma
gisterialis

PP

IN HOCLI

BELLO HAEC CON
TINENTVR,

SYNODICA, ID EST, DE
indicta Synodo, capita.

PRIMA.

SECUNDA.

TERTIA.

DOCTRINAE DE RELI-
gione controværse inter se
opposita capita.

MVLTA INSUNT IN HOC
quamvis breui libello, que & instruc-
re & confirmare possint ani-
mos piorum. Tu sume,
lege, utere.

LIPSIAE

1543.

BR. 1996

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

aus der Universitätsbibliothek

Mbd. C.

BA 16 812

ΠΡΟΣ ΑΠΑΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΤΟΥ ΧΡΙ-
ΣΥ ονοματικαλογιας.

Οὐ σμικρὸν τὸ πρᾶγμα θῆται τοῦ θεάτρου γένεσις
Σαυτῷ, καὶ τῷ πάντας τὸν θέατρον οὐδὲν μηδὲν
Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ φωνῇ αὐτοῖς τοῖς δέκα
Ἄμφαδοῖς εἰς τὸν πάντας τοῖς δέκας λέγων,
Ἐγγίγαντας πάντας τοῖς δέκας μεταπάτεις
Τῷ πάντας τοῖς δέκας ποίμνην παγγελίωμεν
Νῦν ἀνθράκες ιρινέαμι βαλεύετε πάντας τοῖς δέκα
Χωρίας αὐτούς αὐτοὺς καὶ τοῖς δέκας πατέρες.
ὅσαν γκλαθήτε πάντας τάγματα τοῖς δέκας πατέρες,
Οὐδὲ λέγετε μηδὲ σοφίας ισοράτους συράνικες,
Φράσατε δὲ τὰς ανάτοις νόον τοῖς δέκας καὶ τοῖς δέκα
Μὴ δὲ βροτῶμεν καίνον πρόσθιτε τοῖς δέκας καὶ τοῖς δέκα
Ἄρτες ή πρώτοις τοῖς δέκας ανθράκες σεβίσατε τοῖς δέκας
Οὐκέτι γάμῳ βολούς τοῖς δέκας πάρεστις οὐλεστρού
Εἴη μάρτυρις τοῖς δέκας αρέσκειτε τοῖς δέκας
Ἐξ ασεβῶν λαοῖς ἕτεροι αριστεροί.
Ἐν σοὶ μάρτυρις σωζόμεθεν τοῖς δέκας καὶ τοῖς δέκας
Νικήται πάντας γίγνεται ανέπαλας.
Χαίρε τοῖς δέκας γίνεσθαι τοῖς δέκας.
Σούτε οὐχ θρούς βίης τατθομόνος αδικοῦ.
Μηδὲν δὲ λίγον μισογένετος τοῖς δέκας
Ηγετὸν δὲ οὐδὲ βιοτόνος καθητοῦ εἶται μίσος.
Ιωαχείμος.

Non parva est res, heus de corde repellite somnum,
Aspicite et mentis lumine quisque suae.
Ipse quasi emissus uoce Omnipotens ita clamat,
Cunctorum exponens auribus ista palam.
Non procul est celeste dei, resipiscito, regnum,
Quisquis diuinis tangere pollicitis.
Nunc damnare malos statuit deus undique ab agnis
Hocdorum immundos et remouere greges.
O sacra consilij turba et uenerabilis ordo
Quem praestare Dei cognitione putant,
Aeterni quae sit specta sententia Regis,
Nec sit cura hominum maior honore Dei.
Si mortalis erit potior tibi numine, Tum tu
Scito tibi praesens esse prope exitium.
Sed tibi quod fuerit uisum pater optime fiat,
Tu modo sancte gregem protege Christe tuum
In te seruamur solo, in te uiribus auctus
Hostes iam poterit uincere quisque suos.
Salve Christe Dei soboles, Deus ipse, tuaque
Agmina prosternas nunc inimica manus.
Nosque tibi infenso miseros tuearis in orbe,
Atque hinc ad uitam ducito perpetuam.

AD ILLVSTRISS. PRIN
CIP EM ALBERT VM MAR=

chionem Brandenburg. &c.
Prussiæ &c. ducem, Proœmi
um Ioachimi Camc
rarij Pab.

COgitanti mihi saepe Princeps illustriss.
& animo uoluenti eas controuersias
quæ nostra ætate de religione extite=run^t, & his temporibus uehementius incitari ui=dentur, solicitude subire ingens solet. Quid=nam tandem futurum, quemq; finem habitu=ra sit contentionum infinitum pene studium,
Cum reperiantur semper plurimi qui manife=stæ atq; exploratæ ueritati reclamare, et claris,
quasi solis luci tenebras ac nubes obducere non
uereantur. Qui si quid fieri debebat quidq;
perperam agatur intelligunt, ut de plerisq;
suspicio est, neq; non tamen uel metuentes existi=mationi suæ, uel excæcati cupiditatibus, uel ne=sciio qua alia de cauſa, patrociniū errorū susci=piūt & ueritati aduersantur, facile apparet q;
genus hoc hominum quæq; hunc tam barbara&
morem producat patria. Nam impietatis hanc
esse sceleratam sobolem quis non uidet? Sed pu=t

A 3 tantur

Cantur aliqui simplici animo non probare uel
omnia uel quædam eorum quæ nouari in prio=
ribus obseruationibus animaducunt, uel quia
hunc honorem ueteribus habent, ut ab illorum
sententia discedendum non arbitrentur, Vel
quia quorundam aggressione immittiore admo=
dum offenduntur, cumq; sentiant mala, quibus
cum Religio conflictatur, uerentur tamē quem
euentum, talis medicatio sit sortitura. His sane
ignoscendum esse pijs & ueniam dandam, ut opi
nor, omnes existimabunt, uel de re grauiſſ. ni=
mis etiam anxijs, uel maximis amatorib. pater=br/>næ & auitæ, ut dicitur, uirtutis. Vel etiam in ne
gocio sane arduo formidolosis. Sed ut reuerterar
ad meam non superuacaneam, in hoc rerum
statu & hominum insolentia & Reip. perturba
tione, solicitudinem. Evidem animo intuens
quanta pericula impendeant nobis omnibus,
qui in hæc tempora incidimus, & in quantum
discrimen ueniat pietas, studia bonarū artium,
honestas, salus deniq; omnium, & ipse sane ani=br/>mo consternor, & alijs quoq; doctis ac bonis
idem usu uenire comperio. Ideoq; facere non
possum quin & considerationem frequentē in
hæc impendam, & cum prudentibus ac uerita=br/>tis amantibus libenter atq; cupide de ijsdem col=br/>loquar.

loquar. Idq; feci nuper studiosius cum serio cōuentum se habiturum esse Pontificem Romanū decreuisse audirem, Cumq; tridenti, ubi consiliū de summa rerum futurum esset, iam nō paucos adesse, & Carolum Imperatorem expectari diceretur. Atq; collegi sentētias quāsdam diuersorum, qui etsi fortasse agnoscuntur ab ijs qui illorum scripta legerunt, à me tamen palam nominari fortasse nollent. Non quod dissimulandum sibi quicquam eorū quae exposuimus arbitrentur, sed quòd si ipsi hæc ederent, accuratis & claboratius omnia proditura fuerint. Cū autē in ea essem opinione fore ut hæc à plurimis libenter atq; etiam cum fructu legerentur, fatus amicitia quae mihi cum autoribus intercedit, & simplicissima profecto cupiditate subjiciendi alijs quoq; fortasse pariter de his rebus se cum quærcentibus, ea quibus ego partim explicatas partim confirmatas sentirem suisse rationes meas. In hac igitur persuasione atq; uoluntate uisum mihi est faciendum, ut hæc cum omnibus communicarentur, & euulgata publici cuiusdam iuris ad usum uniuersorum fierent. Sed nihil minus tamē ad tuā illustriss. Princeps excellētē sapientiā peculiariter ac ueluti priuatim cū hac nostra dedicatiōe & quasi transcri

A 4 ptione

ptione mittere illa uoluimus. Hortabantur ad
hoc me cum alia, tum in primis speciosissima fa-
ma nuper istic à tua munifica benignitate insti-
tutæ scolæ publicæ, quæ cum iam latius de re an-
te annos tres inchoata spargatur, incredibilem
admirationem diuini consilij, & singularem fa-
uorem erga excellentem liberalitatem tuam ex-
citauit. Ac sunt profecto hæc principum & po-
tentum propria munera & illa pulcerr. facino-
ra quibus quisq; se possit

Tollere humo uictorq; uirū uolitare per ora.
Hæc & præsentes & posteros cura complecti-
tur. Hæc & pacis & belli temporibus necessa-
rias copias diligentia præparat. Fateor esse una-
diq; omnia plena minis & terrorib. bellorū sed
cōtra horū impetus fortiū arma expediantur,
& res permittatur Deo. Ut autem uictores eti-
am in pace à barbarie & errorum insidijs de-
fensi sint, utq; primum ueritas, & secundum
hanc cultus diuimus, ut uitæ decus, ut morum in-
tegritas, deniq; ut societas humani generis insti-
tui stareq; possit, nequaquam est ijs negligen-
dum qui non hominibus, sed Deo ipsi præsiden-
tiæ ac principatus sui rationes se reddituros ali-
quando esse cogitarint. Metunt multi à doctis
& eruditis, In conscientia illi quidem extremæ
inscitie,

inscitiae, sed sine causa. Nunquam est compertum
doctrinam aut eruditionem tumultus aut sediti-
onis causas occasionemue præbuisse. Hæc enim
semina sunt barbariae & imperitiae, quæ pars
est hominum fastus & proteruitatis & contu-
maciae plenissima. Ac patiuntur nonnulli se sua-
uiter decipi, dum persuaderi sibi sinunt futurū
esse, ut nescio quorum ope & protectione erro-
res impietatis atq; inscitiae defendantur. Cum id
quām inane atq; futile sit ex eo facile pateat,
quod ne ipsi quidem si interrogentur affirmare
ausint, vel Deo uel hominibus placere posse
eam doctrinam quam tuentur, & uitam quam
degunt, & mores quibus prædicti sunt. Sunt in
celebri & potente quadā urbe, quæ in tali men-
tione à me non nominabitur, collegia sacerdo-
tum uicima duo, quæ quia uel premendo uel de-
serendo uastarunt Academiā olim ibi florētem,
nunc secura sunt, & intrepide uoluptatib. atq;
delicijs indulgent. His ego neq; precari quic-
quam, si odi, possim deterius quām hæc insanis
est, neq; mali quicquam precari uolo, non enim
odi. Sed factum tamen est eiusmodi, ut uerear
ne debita pœna diu cariturū non sit. Estq; hoc
aliquanto uituperatione maiore dignum quām
aliorum collegiorum peruersitas. Hæc enim de-

A S posse

posuisse pietatis & bonarum artium curam atque
laborem satis habent, cum præmijs & dignitatibus
potiantur, illud se firmius stare & magis
crescere posse putat, si pietatis & bonarum artium
studia delecta sint, neq; obscure testantur
quid de his facerent ubiq; locorum, si penes se
esset, cum apud se ad hunc modum tractant. Mi-
rabili autem iudicio Dei factum est, ut rebus
cuersis nomina tamen in istis collegijs retine-
retur, q; si quid esset in illis pudoris, totos in ru-
borem audita darent. Vocantur enim Præposi-
ti, uocantur Decani, scolastici, custodes, canto-
res. Quæ omnia esse administrationis doctrinæ
nomina quis ignorat. Hæc si saperent etiā ipsa
ut à se amolirentur operam dare debebant. At-
que hæc sunt quæ eruditæ & docti, si quid omni-
um, illis erepta esse uelint. Non dominationem,
non opulentiam, non tranquillitatem illorum
expetunt. Optant ut desinere uelint audire id
quod esse nec curant neq; omnino uolunt. Sed
ijs ipsis quasi in ueterno profūdiss. sopitis, exci-
tantur iam paſſim in Germania principes uiri,
& in hanc præclariss. curam Deo instigante in-
cumbunt ut pietatis & ingenuæ disciplinæ semi-
naria apparentur. Quæ si cura illos qui exper-
gisci ad nullorum inclamationes uolant, oppres-
serit,

serit, fortassis tum quasi σκορδίπιῶντες molis-
ri aliquid et ipsi incipient, sed sero, et, ut metus
endum est, frustra. Quare recte atque ordine fa-
cerent si de superfluis summis aliquantulū de-
merent quo conduci possent iij qui obirent ea
munera quorum ipsis nomina magis dedecori
quam honori sunt. Sed haec ita dormientibus
quasi mandragorae succū biberint nec quicquam
occini videantur. Tua uero Illustriss.princeps,
et admirabilis ac diuinitus excitata in hac etiā
parte prouidentia, atque consilium laudabile, et
omnium prædicatione celebrabitur, et ad po-
steritatem immortalem memoriam tibi concilia-
bit, et eos populos qui tuo imperio parent mul-
tis et magnis commoditatibus augebit, et illa
loca quæ subiecta sunt ditioni tuæ ornabit. Utin-
am ea quies concedatur quæ alat propositum
tuum pulcerr. hoc opus amplificandi et ad illā
speciem dignitatis quam concepit cupiditas ex-
cellentiss. animi tui perficiendi. Sed quicquid fia-
it, sunt enim futura incerta, et magna est miser-
ia sœculi nostri, et Deo satisfecit alacritas et
sedulitas tua, et hominibus promta uoluntas in
summa benignitate declarata est. Quibus quia-
dem hoc es meritus ut heroica fama tua in ter-
ris semper futura esse uideatur. fortasse me ues-
hementi-

hementius commouet harum rerum & nostrarū
rū artium respectus, quæ mihi & notæ aliquan-
tulum sunt, & quibus ego uel ideo quia non alie-
næ sunt admodū delector. Ac dicet aliquis para-
ua esse hæc & puerilia, institutionem ludi & li-
terarum officinam. Sed neq; ego potero facere
quo minus mirifice gaudem, secunda studiorū
pietatis & bonarum artium fortuna, & aduer-
sa doleam. Et hæc quam parua sint quid refert,
si constat de neglectione illorum quasi fonte
quodam infelicitatis, oës calamitates, quibus res
humanæ afficiuntur, manasse. Vel si hoc nō fate-
tur aliquis, certe perliberalis est paruitas hæc,
Quæ si quantum in istis est qui conseruare de-
bebant, interit, nonne satis documenti dāt, quæ
spes Reip. ab illis in grandibus & difficilibus
rebus esse possit, qui hæc leuia & facilia admi-
nistранда suscipere non audent. Sed redeo ad li-
bellum quem supra dixi, cum euulgandum esse
statuissem, ad tuam excell. mittere peculiariter
me uoluisse. In quo futurum confido quædam ut
excell. tuæ admodum placeant. Quæ utinam ij
quoq; quorum maxime interest perpendere nō
grauarentur. Inuenirent longe aliter rem se ha-
bere, quam nunc de inculcatione assentatorum
& calumniatorum perditorum hominum suspi-
cantur

ēantur. Quid autem tergiuersamur & ut grāci dicunt ἀκνοζόμεθα tamdiu? faciant isti qui nunc ecclesiam, nescio quos, repræsentare aiunt, quiq; hos infatuare student, concentur, moliantur, machinentur omnia. Nunquam tamen stabilient notos & proditos errores. Ipsi uident mirabiliter sibi de manibus elabi cuncta quæ aduersus ueritatem tentantur. Deniq; mutationis & conuersionis tempus adesse manifestū est, idq; & prudentium virorum conjecturæ, & naturæ significaciones clamitant, & omnium pene mortalium animi præsagiunt. Non tamen cessant pleriq; contra stimulos, ut dicitur, calcitrare. Sed siat quod Deo uisum fuerit, quæ oramus ut ipse sua benigniss. manu in hac etiam indignatione & furore suo protegat ecclesiam filij sui Iesu Christi, neu paciatur eorum uitia, qui in illa Principes esse uolunt, quiue sinceritatem doctrinæ deprauant atq; contaminant, lucere multitudinem. Hoc ille orari uult & impetrari, si petierimus ut iussit, finet. Adieci autem his & alia quedam non abhorrente arguento ab ijs rebus, de quibus nunc agitur. Quæ omnia ut tua Illustriss. Clementia benigne admittere & mecum studium ac persuasionem de manu suetudine tua in meliorem partem accipere uelut, uchementer etiam atq; etiam oro.

¶ uero d' ināx a.

SAEPE cum multis sapientibus uiris qui
fauent dignitati Romanæ sedis, & uellent
nullo modo labefactari statū Pontificium
disputauit, an ipsi uel suo statui uel communi ec-
clesiæ profuturam arbi rarentur synodum. Hi
constantiss. de utraq; re mihi respondebat, Nec
statui pontificio, nec tranquillitati ecclesiæ pro-
futuram. Ideoq; omni ratione pugnandum esse,
ne serio ut in synodo deliberationes aliquæ in-
stituantur. Primum enim in tanta regum discor-
dia ne conuenire quidem præcipuas personas
posse, nec futuram esse ullam synodi autoritatē,
si Galli abessent, nec executionem sine regum
coniunctione fieri posse. Contra uero, si maxi-
me Reges essent coniuncti, & ociosi, & serio co-
gitarent de Reformatione Ecclesiæ, haud du-
bie magnam partem opum & potentiae detra-
sturi essent ecclesijs. Iamq; de hoc Gallus dispu-
tauit de Abbatijis conuertendis in equitum col-
legia & stipendia. Existimant ijdem quod nec
tranquillitas secutura esset rebus iudicatis sine
executione, & irritatis ingenij maiora futura
certamina. Iam prudentes in utraq; parte mul-
ta desiderant que tamen iudicant insanabilia es-
se. Non

se. Non est autem desperatis adhibenda medici-
na, ut inquit, Hippocrates. Moguntinus dicebat
Augustæ nihil opus esse synodo, quia et si dissimiles
sint controversiae quarum aliquæ requiri-
rant deliberationem doctorum. Tamen caussans
coniugij ita perspicuum esse ut nemo non agno-
sceret Luteranos, quos uocant, in eo negotio
rem iustam petere ac defendere. Et tamen hac
ipsa re iustiss. concessa funditus peritum esse
statum collegiorum & uniuersam præsentem
formam Ecclesiæ, quæ et si sit mala, tamen cum
alia melior constitui non possit hanc omnibus uer-
ribus tuendam & retinendam esse, nec ulla in
parte labefactandam, nec faciendas esse disputa-
tiones, in quibus postea partium studia pariunt
nova et falsa dogmata, ut à Luteranis nunc dis-
sentire Anabaptistas &c. Idem nuper adeo re-
pulit à se petentem sumtus studiorum de sacer-
dotali beneficio adolescentem, quod ingenue fu-
isset confessus se poculo domini, id est, sacramen-
to integro fuisse usum. Non tam factum impro-
bans quam confessionem. Quanquam & factū
reprehenderet, Cum tamen rem planam esse
de Christi institutione non negaret &c.

Quæ & similia alia multa quæ nimis esset
longum referre, cum cogito, primum arbitror
non

non serio indici synodos, ut rite cognoscantur
controversiae, ut aliquae fiant in utraq; parte
emendationes seu ut consulatur conscientijs ali-
qua mitigatione ueterum Legum.

Sed duæ uideri possint caussæ esse quas in
indicendo spectent. Una ut satisfaciant uolunta-
ti Imperatoris, quem tamen libello inductionis
seu bulla offensum ex ipsis responsione appa-
ret, altera quod sciunt Luteranos. ut appellan-
tur, defugere iudicium Synodi talis. Ut igitur
prædicare apud reges & principes aliarum na-
tionum possint se satisfecisse suo officio, & ge-
nus doctrinæ non probandum esse quod in syno-
do damnatum fuerit, deniq; ut hoc prætextus
Regum & populi animos alienent à caussa Lu-
teri & reddant huic doctrinæ infensores. Sed
suspiciemur dexterius. Quæcunq; tamen caussæ
mouent Pontificem, si conuenerint aliquot Car-
dinales & aliquarum nationum episcopi, Hæc
erit haud dubie prima deliberatio. Q V I D de
Luteranis agendum ac statuendum sit. Et est
credibile pontificem petiturum esse, tantum ut
communibus suffragijs Synodi damnentur arti-
culi confessionis Luteranorum. Vel ut Bulla Le-
onis X edita cōtra Luterum confirmetur &c.
Cōmuni Synodi decreto. Huic petitioni & tali
pros

processui Saniores episcopi & legati aduersari
& refragari debent. Sint igitur hortatores ut
instituatur uel legitima cognitio dogmatum uo-
catis Luteranis, uel deliberatio de rebus aliqui-
bus in utraq; parte emendandis, ut aliquarum
rerum concessio in præsentia concordiam sar-
ciat, & ut cunq; fulciantur ruinæ Ecclesiarum.
Ut Episcopi rursus ordinent ministros Ecclesi-
arum, & ministri agnoscant eos esse gubernato-
res regiminis ecclesiastici in prædicatione Veri-
tatis Christianæ & usurpatione rituum consen-
taneorum, & ita coniungantur Ecclesiæ &c.
Erunt alii qui, sine dubio, Idem suasuri ut legati
aliquot principum Germanie, Coloniensis,
Palatini, Marchionis, cæterorum. Et ut maxime
nemo hanc sententiam diceret, tamen & hone-
sta & tuta est, & sine etiam duce sequenda. Et
quam nunc omnes sapientes ac boni, posthac ue-
ro & cœntus, qui stultos quoq; erudit, appro-
baturus esse uidetur. Rationes etiam comme-
morari uel hæ uel his similes poterunt. Nullam
esse futuram autoritatem, si sine cognitione fi-
at, condemnationis. Item si pariter omnes arti-
culi damnentur, Cum quorundam ueritas ita
manifesta sit ut nulla probabilis ratio cōtra eos
afferri possit. Talium igitur condemnatio, quia

B iniquas

in qua uidebitur & magis illustrabit causam Lis-
teri, & plures accendet cum ad cognoscendam
tum approbandam. Sunt autem tales manifesti
articuli, de coniugio sacerdotum, de iuuocatio-
ne sanctorum, de indulgentijs, de manifestis abu-
sibus & nundinis missarum. De his si absurdā
decreta facta fuerint, magis inflammabuntur
animi & gl̄scient certamina. Et populus de Sy-
nodo leuis sentiet. Nec est utile exemplum de-
cerni absurdas res in synodo, quia postea allega-
tur hoc ad labefactandam autoritatem omni-
um synodorum, deniq; res indigniss. est in eo cō-
uentu, qui est summum iudicium Ecclesiæ, quod
dicitur gubernari à spiritu sancto, quod uene-
rabile esse debet Angelis, Res manifeste falsas
& absurdas, uel saltem dubias probari aut con-
stitui seu stabiliri. Vrgenda est igitur hæc sena-
tentia ne fiat condemnatio sine quadam proba-
bili cognitione. Sed potius deliberatio institua-
tur per delectos aliquos, quomodo ecclesijs con-
sulendum sit. Quæ dogmata & quæ res possent
concedi, quibus concessis Luterani reddat obe-
dientiam episcopis. Nec uero arbitror aliud mæ-
ius certancii fore in synodo, quam hoc primū,
An sit deliberandum de aliquibus concedendis.
Certum est enim præcipuos Cardinales hanc
senten-

sententiam unam & dicere & constanter defen-
dere, quod prorsus nulla uetus lex aut consuetu-
do Romanae ecclesiæ ulla ex parte laxanda aut
mutanda sit. Et Contarenum scio duriter obiuri-
gatum esse à pontifice & plerisq; Cardinalib.
quod aliquam præbuit significationem moder-
ationis. Si autem res ad deliberationem de reb.
concedendis duceretur, Etsi uidentur diffici-
les contiouersiæ, tamen profecto non sunt ob-
scuræ his qui mediocriter intelligunt doctrinam
ecclesiæ Christi, & facilis est inter sanos dijudi-
catio. De libero arbitrio nulla est contiouera-
sia inter prudentiores, Immo Augustæ receptus
est articulus quemadmodum in confessione Au-
gustaria ponitur. De Iustificatione seu de ea do-
ctrina, quæ dicit homines consequi remissionem
peccatorum propter Christum fide, non pro-
pter propriam dignitatē, Item de bonis operi-
bus Ratisbonæ facta est conciliatio. & non du-
bito prudentes omnes & timentes Deum, agno-
scere eā sententiam quæ in ecclesijs, quas Lute-
ranas appellant, traditur, ueram & utilem esse
pietati. Etsi autem uarias calumnias Eccius &
similes querunt ad hanc sententiam labefactan-
dam, tamen ueritas non est obscura. Et in Syno-
do cœendum erit ne damnata manifesta uerita-

B 2 te aces

te accendantur maiora certamina. de Ecclesiis,
De autoritate Episcoporum, de ordinatione,
De obedientia ministrorum, deniq; de politia
ecclesiastica, etiam Ratisbonæ responderunt Lu-
terani, Si de doctrina conueniret & episcopi
uellet examinare & ordinare ministros, & fo-
uere eas Ecclesiis in quibus iam sonat doctrina
confessionis Augustanæ, nullum certamē fore,
Offerunt obedientiam constituto cōsensu do-
ctrinæ, & correctis quibusdam abusibus. Hoc
si fieret, maneret status Episcoporum & colle-
giorum cathedralium integer, Maneret ea for-
ma gubernationis quæ nunc est. Nec potest sa-
ne negari neq; dissimulandū est, multis iam sœ-
culis Episcopos & Canonicos occupatos tantū
negotijs politicis, prorsus neglexisse res ecclesi-
asticas, id est, studia & inspectionem doctrinæ
& disciplinæ pastorum in suis dioceſibus. Anni-
tendum est igitur ut ad eas res quæ uerae sunt
Ecclesiasticae, saltem aliqua ex parte reuocen-
tur Episcopi & Canonici. Nam ferme constat
non posse retineri autoritatem si prorsus nullā
partem officij attingant. Res publicæ semper
sunt laborantium. Ut in quolibet quamuis par-
uo oppido Respub. reipsa est in eius potestate,
qui curat & administrat negotia ciuilia. Cogit-
tent

tent igitur Episcopi & Canonici, si uolunt re= timere autoritatem non omnino curam officij et muneris sui negligendā esse. Reliquæ sunt quæ= stiones de coniugio, Missa, Inuocatione sancto= rum, de uotis monasticis, seu reformatio[n]e mo= nasteriorum. De coniugio sacerdotum manife= stares est, apparet enim qualem castitatem hæc lex effecerit. Etsi autem coniugium cōtrarium est statui sacerdotali, qualis nunc ille est, tamen plus ualere respectum salutis uniuersorum & ueritatē ipsam, par fuerit, quam paucorum commoda & honores, et, si uerum dicendum est, dominandi cupiditatem, præsertim cū pro=hibitionis lex neq; diuino neq; humano iure de= fendi possit. Et qui illam tuentur eos mirum sit audere uocem emittere, neq; erubescere, neq; metuere cum se, tum tot consciens flagitiorū suo rum, atq; etiam, ne quas perietum & conclau= um uoces eliciant indices libidinum suarum. Sed de hoc satis iam est & dictum & scriptum. Boni uiri non possunt adiuuare hanc Naturæ ipsi contrariam inhumanitatem, præsertim in manifesta turpitudine quæ illā secuta est. Qua= re coniugium sacerdotibus omnino liberum re linqui oportet. De Missa, quæ priuato quodam usu alieno & abhorrente ab institutione huius

B 3 sacra

Sacramenti, etiā eripuit populo calicem Domini, Si audire uoluerint saniores facile poterit res explicari. Sin hoc modo ficit, ut qui Missas improbet, re incognita, tantum quod errori in ueterato reclamat, condemnetur tanquam hereticus, quod remedium huic malo afferri possit non video. Similiter & iuuocatio sanctorum, & uenerationis statuarum & imaginum & reliquiarum, cum fidem in Christum simpliciter laedant, quin tollēdā ē medio sint, dubium esse nō potest. Neq; antiquitas errori patrocinari debet. Magnae autem & pernicioſae de his rebus à quibusdam pertinacibus hominib. apud Græcos contentiones excitatæ fuerunt. Et nostra tempora d̄cterrimos abusus in hoc genere uide runt. Non tamen tollimus religiosam memoriam & uenerationem nominis, sanctorum martyrum, et historiarum recitationem, ut neq; imaginum expressionem, quibus uulgas ad pietatem instruatur, quæ omnia emendatione impetrata facile constitui possent. Vota monachorum superstitione posteriorum qui æmulatione quadam priorū nouum genus cœnobiorum consti tucunt, et sc mendicantes appellantur, corrupta sunt. Vetera autem monasteria & alia collegia Ecclesiastica, ut optima et pictatis plenissimis consilio

consilio ab Imperatoribus regib. principib. su-
erunt fundata, ita omni ratione & cura conser-
uanda sunt. Sed in hac depravatione & corru-
ptione stare diu non possunt. Neq; diuturni as-
illis melius parabitur, quam si ad emendationem
& correctionem uitiorum & reformationem
status sui ipsi Episcopi & abbates & sacerdo-
tes cōsenserint. Ita enim & opes & dignitatem
māxime retinere poterūt. Sin ad dimicationem
maluerint rem deducere, aut expectare dū alij
de meliore forma status ipsorum deliberent,
uerendum ne & commodorum & opulentiae
& dignitatis plurimum amittant. Cui calamita-
ti omnes boni uiri totis uiribus occurrere de-
bent, & anniti ut placide controuersijs in reli-
gione dijudicatis Errores tollantur, uitia emen-
dentur, pax & tranquillitas constituatur. Quā
à Deo oremus patre liberatoris nostri Iesu
Christi. Incidunt etiam quæstiones de ieiunijs,
De serijs, de alijs ritibus & ceremonijs & ob-
seruationibus ecclesiasticis, Quæ si ueritas do-
ctrinæ libera relinquatur, de arbitrio ac cōsen-
su bonorum & prudentium uirorum in melio-
rem formam redigi non difficile, neq; ullum de-
bis, concessa integritate doctrinæ præclium fu-
turum est. Deum oremus unanimis precibus,

B 4 ut ipse

1f

ut ipse gubernare & dirigere omnium corda
ad ea sola spectanda, & coniungere sententias
in ijs constituendis uelit, quæ ad ipsius laude &
gloriam & ad salutem ecclesiæ Christi per-
tineant. AMEN.

συνοδίκας.

Fabula Aesopica introducit leporum con-
cionantem apud leones, Quem imitari ij-
uidentur qui apud potentes & superbos
& uiolentos non dubitant disputare de Iusticia
& moderatione, Ostenduntur enim in fabula
dentes ac ungues lepori, & sententia illius deri-
detur. Quid igitur faciendum est, An tace-
bunt omnes? Quibus integrum fuerit, ij si sapi-
ent tacebunt potius quam cum periculo manife-
sto loquentur. Sed quos officium, ac fides, id est,
plane Deus ipse loqui iusserit, confidenter lo-
qui & ueritatem omni tempore ac loco aduer-
Jus quoscunq; defendere debebunt. Hoc non
modo sancti uiri semper illi quidem, sed & pru-
dentes aliqui fecerunt. Ut Athenis ueterem Ari-
stidem & postea Phocionem accepimus. Qui
cum in rcp. uersarentur non stulta cupiditatem
populi

populi respexerunt, neque improbitati seruirent, sed proposita omnibus consilijs atq; actionibus suis, salute ciuitatis, non aliorum uoluntas sed ueritatem semper spectauerunt.

Ac magna quidem uel potius grauiss. res nūc suscepta uidetur, In qua mihi hoc molestiss. accidit, quod minime multi boni & eruditu uiri præclarā de exitu spem habēt, quodq; cōtra potius uerentur futurum esse, ut illa sc̄dissime cū certa pernicie Reipub. agatur. horum autem et iudicia non s̄epe errant, & coniecturæ haud se re fallaces esse solent.

Obuersatur enim illis talis quædam species atq; imago qualis à Platone proponitur, Bestiæ ingentis & ualidæ quæ alenda & saginanda sit. In qua curanda si obseruatum & notum sit, quibus rebus irritari placariq; illa maxime soleat, & qua parte ad eam accedere, ubi contrebetare, quo sono uocis uti conueniat, hoc totum pro arte quadam egregia ac peritiſſimus habetur, qui illa omnia sci: iſſime exequi possit. Cū ignorent omnes ac ne querendum quidem putent, quid horum uerum, quid honestum, quid bonum, quid iustum, & contra quid falsum, turpe, malum, iniustum sit. Similiter enim cauſa mirabilis nūc proponi uidetur. Magna quidem

B 5 hæc

hac & ualida, cū longo tempore firmata, tum existimatione & dignitate præstans. Atq; hanc defendi obtineri q; uolunt, omnia igitur quæ ad iuuare eam posse uideātur conquirunt, Quid ue rum, rectum, honestum sit nihil curant &c.

In quo si perseveretur, nulla spes prorsum est salutis. Nam quid obsecro fiet, si ut in simiorum cœtu nullius vox audiatur nisi laudantis et approbantis manifestam turpitudinem & notissima uitia? Tale erit hoc iudicium. Primum consilium, hominum leuum et iudici obnoxiorum, partes autem dicere cogentur ea quæ iudex uelit, neq; uerbum aliud emittere licet. Tum sententia feretur allata domo non exquisita secundum ueritatem, sed accommodata libidini iudicis. Hoc autem si in rebus humanis, si non dico in capitibus sed facultatum iudicio fieret, omnes indigniss. esse clamarent. Sperandum igitur non defuturos viros bonos & pietatis ac patriæ amantes, qui conatibus audacissimis uel potius impudentiss. iniusticiæ refragentur. Et postulēt ut causa cognoscatur, ea uia & hoc ordine, ut equitate & iure, nō uincq; oppressionē res peragatur.

Qui igitur Deo satisfacere ac Reip. operam nauare uoluerit, Is in hoc pugnabit ut cognitio

gnitio uera & iusta fiat cotrouersiarum tantarum, Doceatq; neq; omnino sine scelere tyranicam uim in hoc negotio usurpatum iri. Et si fiat, ut optime cadat, utq; uincat iniuria & uis, non tamem leticiam successus diuturnam fore &c.

Vel aduersariorum, qui Luterani uocantur, refutandorum cauſſa, cognitio libera constituenda eſſet, iij enim clamant ſe inauditos dannari, Negant quicquam uelle aut quærere aliquid niſi ut ueritas patefiat. Non honores, non opes affectare, Nemini ſuum eripere uelle, que omnia honestiſſ. dicuntur, & crant cognitione examinanda.

Quod ſi perreixerint tyrannice pronuntiare, ipſi ſoli de tanta re, metuendum ne excitentur eiusmodi tumultus quibus obruantur primū omnium, illi uiolenti pronuntiatores. Quod ſi non fiat statim, tamen illa immanitas diu ſtare non poterit.

Cum autem ſint duo præcipua de quibus querendum eſſe uideatur, hæc etiam ipſa noſtra indicatione attingamus.

I. Primum eſt doctrinæ & dogmatum iudicium. Nam quis ita perficta fronte reperietur ut neget, non eſſe ecclesiasti cam doctrinam contamina-

taminatiss. & plurima irrepissse falsiss. dogmas
tae. Sed haec uideamus.

II. Fide nos accipere iusticiam à misericorde Deo propter merita Iesu Christi, atq; ita iustos esse coram Deo, docet Christiana ueritas. Et in hac fide in Christo simpliciter ambulantes, iubet honestati studere & exercere caritatem.

Vbi & quando hoc sincere docuerunt? Non ne fuerunt etiam reperi plurimi qui ueritatem hanc oppugnare auderent, quibus max. semper præmia proposita fuisse scimus?

III. Unus est qui nos Deo reconciliet mediator Dei & hominum, Deus et homo Iesus Christus.

Contra hoc introductus cultus sanctorum, Adoratio imaginum & statuarum, Veneratio cimeris & ossium mortuorum, quæ manifesta est idolatria. Negent hoc qui uolunt. Sed res & memoria adhuc hominum tenetur & scriptis est comprehensa, in lucos, in colles cursitatum, omnia templa mirificis imaginibus completa, Cum magna pompa de sepulchris elati mortui fuerunt. Haec bonis & non manifestis defensoribus impietatis dicenda, & horum oppugnatio descendenda est.

Corpus

III. Corpus Christi pro nobis traditum,
Sanguis effusus est. Vbi ergo sunt merita uel ui-
uorum uel mortuorum.

V. Et qui credit in filium habet uitam æter-
nam.

Iacent igitur indulgentiæ, iacent nundinæ
animales. Purgatorium est unum, in sanguine
Christi.

Contra hæc quid factū fuerit pudet etiam
eos iam qui aliquando temeraria audacia defen-
derunt. In quibus tanta fuit absurditas, tam ma-
nifestæ imposturæ, tanta impietas mendaciorū,
ut hæc uehementissime soliū illud regni ecclesi-
astici concusserint. Contra hoc omnes fundatio-
nes sacrorum, omnes ordines, omnia sodalitia
religionis faciunt.

Docuerunt inquiunt semper in ecclesia de
Christo. Non docuerunt secundum uoluntatem
Dei. Non enim cauerunt ne contaminarent si-
ceritatem doctrinæ. Ita ueritati contraria om-
nia tandem fuerunt introducta.

Quis erit autem iudex, nam utraq; pars de-
fendit doctrinam suam?

Primum Papistica doctrina partim nō ma-
gis, partim non strenue defenditur. Et omnino
res ipsa clamat entendatione opus esse. Si igitur
queratur

quæratur de grammatica, quis dubitat quin iudicessumendi sint nequaquam iij qui se grammaticos non esse fateantur, neq; iij qui se esse probare nequeat? Ita et de doctrina Christiana audiendi nimirum iij sunt, qui et profitentur hanc et ueritatem huius asserere possunt, Non iij qui uel in hac ludos et delicias faciunt, uel qui se plane ignorare confitentur.

Summa hæc est. Si ut negotium diuinū est, ita quæretur gloria Dei, facile omnia explicabuntur. Si in propria gloria propria eommoda et expectentur et defendantur, Quomodo instaurari ueritas Christiana poterit? quomodo quærent autem gloriam Dei, iij qui inter se expectunt? Et c.

Sed de his strictim quidem, ut propositum fuit, satis dictum est.

Alterum est, de quo quærendum esse præcipue aiebamus, Ordinatio rei ecclesiasticæ. In quam et ceremoniæ incident, de quib. maxime quidam contendи arbitrantur. De his igitur et ipsis aliquid dicamus.

I. Papam placet esse caput ecclesiæ. hoc sal
sum est, Nam Paulus diserte dicit Christum esse
caput ecclesiæ. Sed esse quendam inspectorem
et præsidem constitutum consensu episcoporum
ferri

ferri fortasse non possit modo; sed utile etiam
futurum sit. &c.

II. Papam uolunt esse dominum, ut aiunt,
etiam temporalium. Hoc fieri nequit, ut quatenus
episcopus est, temporalis dominus sit, nam
sic dicitur, principes gentium dominantur, uos
autem non sic. Ut autem Papa etiam princeps sit
distinctis administrationibus. Aut episcopus ut
regat rem publ. non tanquam episcopus, sed tan-
quam princeps, ita fieri posse uideatur, ut Pe-
trus fuit piscator et Apostolus. Sed propter
magnitudinem gubernationum unus utriq; uix
sufficerit. Idcoq; scriptum est, Ecce reliquimus
omnia et secuti sumus te.

III. In ecclesia usum sacramentorum quam
sinceriss. extare par est. In quo nihil aliud quam
apertum et simplex uerbum Dei sequendum.

Ergo nec poculum domini prohibendum
laicis, Nec iniuste priuatae tolerandae etiam hoc
nomine sunt.

IV. Coniugium neq; sacerdotibus, neque
ullis alijs prohiberi debet, Sed qui non continent
contrahant matrimonium in domino.

V. Relique ceremoniae et obseruationes
in Christianismo partim superstitione contami-
natae fuerunt, partim sunt inutiles, quae debebunt
aut mutari aut corrigi.

Contra

VI. Confirmatio quam uocant quæ sunt re
liquiae κατκχήσεως, emendata pulcerr. ritus
futurus est.

VII. Confessio quā et ueteres ἐξαγόρευτι
uocarunt in libertatem quandam est afferenda,
de seruitute qua max. à monachis oppressa fu-
it. Ut laquei tollantur et consolatio relinquat-
tur conscientijs, et præclara disciplina in ecclē-
sia rectineatur.

VIII. Orationes et cantus debebunt insti-
tui ciusmodi quibus et placetur et laudetur De-
us. Garrulitas, uociferatiōes auferendae, præ-
rea fabulæ et omnia contraria ueritati in ecclē-
sia non audiantur.

IX. Observationes ieiuniorū et feriarū,
ad exercitia pietatis et refrenandas cupiditates
instituantur, non sint hæc retia miserarum cō-
scientiarum.

X. Quid autem est præterea? Nihil ut opī
nor, nisi de supplicationum processionibus et
quasi lectisternijs ac pompis sacrorum, Nisi de
sodalitijs illis fratrum, Nisi de uotis et peregrī-
nationibus ad tempa et statuas, nisi de muncrū
oblationibus et similibus superstitionibus ali-
quid dicendum est. Sed hæc iam inter ipsas incē-
ptias leuitatis euauerunt, Neq; quisquam tam
perfrictæ

perfrictæ magis frontis reperitur qui his patro
cimari ausit, ne monachi quidem excogitatores
atq; parentes illorum. Ea autem quæ instauran-
da sunt, nutantia, atq; restituenda cuersa, si de
doctrina constet & concordia ineatur, ita faci
le i: aq; prospere procedet ut sese ipsa incitatu=

ra ac prouectura sint. Sed inexplicato negotio
& neglecto consensu doctrine, quicquid sarcis=

tum in religione fucrit illius χιστιανος ac ruptu=

ra, & repentina, & multo quam priores con=

uulsiones deterior atq; exitialior est futura. De

um oro ut quorum maxime interest ut accisis

Ecclesiæ rebus succurratur, ijs eam mentem tri=

buat, omnibus ut ipsius æterni patris respectu,

& nomen Christi Saluatoris anteponant, proxim=

ma autem ut cura sit Reipub. & communis pa=

triæ. Postremo autem longiss. quidem interual=

lo propriæ dignitatis ac utilitatis, Ita enim &

agent ipsi quod bonos uiros decet, & suas cō=

moditates maxime augebūt ac stabilient.

παρένθεσις.

Considerationum, bonæ & piæ mentis &c.

Credo quosdam bonos & prudentes uiros
offendi in his turbis ecclesiasticis aduersariorū
& audacia et ptimacia. De quib. amatorib. chri=

stianæ ueritatis & de patriæ salute solicitis dili=

C genter

gēter cōgitandū, non eorū cāussā q̄ uel autores
uel propagatores fuerūt dissidijs, nam frustra in
omnibus accusantur præterita. Sed ut accisis &
laborantibus rebus uel sero succurratur.

Etsi qui considerare uoluerint ij reperi-
ent non esse autores perniciosorum dissidiorum
eos quos clamatores quidam ad hoc crimen odi
osissime traducunt; neque aliuisse hæc similiter
eruditos & doctos quosdam homines, sed inspi-
rasse potius huic flammæ, quosdām malos et in-
erudi os titulis ecclesiasticarum dignitatum su-
perbientes, aut commodis functionum gauden-
tes, assentatores, calumniatores, & plane syco-
phantas. Quos par fuerat initio coherceri, ne-
que pati impune cum mendacijs & fraudulentis
consilijs, tum etiam ui manifesta oppugnare &
prosternere Veritatis assertores. Quæ medici-
na præsens fuisset ingruentis mali dissidiorum
& turbulentia in re ecclesiastica &c.

Omnino nimis uerum est ubiq; in quacunq;
que conditione & statu hominum reperiri plus
rimum uitiorum, Sed si in reprehendendis im-
probis operam sumere uoluerimus, rixarum
atq; contentionum nunquā erit finis. Semperq;
illud Homericum uigebit, Id quod tu dixeris au-
dies uiciſſim. Quare priuatæ insectationes &
criminatæ

criminationes remouendæ sunt & suscipienda
publica cognitio causa, non de sententia impro-
borū & cupidorū hominū, sed prudentiū & pi-
etas amantium & honestorū uirorum, in quo
cunque ordine aut statu reperti fuerint.

Audio disputatione quosdam doctos et sapien-
tes nullam prorsus in religionis negotio mutati-
onem correctionemue admittendam esse, quod,
quia extorqueri illa iam crederetur, Maiestate
Romani nominis labefactura esset, quantula-
cunq; tandem illa concederetur. Ac melius esse
totam caussam quam partem defendere. Quid
facit autem uulgas addictum & deuotum impie-
tati uel existimationis uel uentris caussa, uel eti-
am stultitia. Quid? Vociferantur indignam rem
esse cedere paucis seditiosis & rebellibus, sic
enim contumeliose appellant, cultores pietatis
& osores mendaciorū. Nihil autem suis decessē
nisi animos. Instigant quos possunt, Vrgēt rem,
vident enim se saluos esse non posse si caussa pla-
cide à bonis & cruditis cognoscatur. Iam qui-
dam hæc modo clamant, Nihilo uiuere laudabi-
lius aduersarios, & morum corruptionem accu-
sant &c. Quæ si audiuntur tempus fuerit nos si
lere, Sim placet cognoscere rem, contra illa om-
nia quod dici recte possit nō est defuturū. Nam

C 2 illi

illi primum sapientes sero profecto sapiunt, de
toto celo errant, si male currendo se vincere
posse sperant. Aut si existimant occulta & tecta
esse uitia illius uasti corporis sui. Latuerūt hæc
quidem paulo ante dum quasi ualctudo bona fu-
it in ignoratione hominum, Nunc illa afflita
omnia simul commota fuerunt, apparentq; plu-
rima rupta ac luxata & uulnera ac foeditates in-
numerabiles. Nam de maiestate Romani nomi-
nis, somnium iam se narrare non intelligere mi-
rum est tantos uiros. Vsurpant illam enim uete-
rem plane nomine ac uerbo tantum, res enim iā
pridem euauit. Nec animaduertunt quam hoc
contrarium sit negotio quod in manibus habe-
tur, non enim de imperij potentia sed Religio-
nis ueritate queritur. Illos autem gnathones &
sycophantas, melius erat ab omnibus consultati-
onibus repellere. Quis enim non amens ijs con-
sultoribus uti uelit, quibus in tota uita nihil con-
temtius neq; abiecius reperiri possit. Quisue
aliquam reipub. partem tribuendam esse ausit di-
cere ijs qui uel ipſi quoq; bonos innocentescq; ac
pios se existimari nolint, uel manifeste aliorum
prauis cupiditatibus assentando seruiant? Qui
uero aduersariorum uitij suam cauſsam niti uo-
lunt, quam pueriliter sapient quis non uidet? Nā
salita

salutis spem in aduersariorum peccatis constituere maximæ profecto levitatis est. Magna iam pars intelligit reipub. uitia, Atq; illas plagas ecclesiæ ab huius præsidibus inflictas omnes ferme cernunt, Non palliant neq; obuolunt mala hæc libri quorundam qui rixantur & altercantur cum autoribus sententiarum uerarum, sed magis atq; magis aperiunt ac nudant. Non enim hæc est medicina irasci ijs qui indicauerint morbum, sed remedia horum quærenda ac adhibenda sunt. Neq; quod uulgo fit recte fieri existimandum, ut odio accusatores delictorum potius quam autores prosequamur. Quare ut finiam hoc cogitemus. Rem ecclesiasticam hoc statu diu saluam esse non posse. Nunc deliberetur utrum potius propugnandis erroribus rem in summū discrimē adducere, an potius moderatis consilijs sanare incommoda & instaurare ruinæ melius utiliusq; esse uidetur. In quo tamen hoc considerandum, Si maxime, quod incertissimum est, ui defendantur omnia & opprimantur aduersarij, Tamen necessario futurum ut aliqua emendationum & correctionum status ecclasiastici ratio incatur. Quanto autem esset saius rebus adhuc utcunq; saluis, & absq; tanto discrimine, admittere salutaria consilia, Quibus

C. 3. & Dei

¶ Dei gloria & sanctiss. nomen Christi, & pa-
triæ incolumentas, & Reipub. incrementa, & sin-
gulorum etiam, cum dignitas tum emolumenta,
constituerentur ac procurarētur. In quam par-
tem qui incumbet is & Deo acceptiss. et patriæ
max. utilem & ad posteritatcm præclariss. ope-
ram daturus est.

¶ uvodīkā γ.

Multi irascuntur ijs quos contumeliose
ut putant Luteranos appellant quos si
interroges nescire animaduertas quid
in illa doctrina repræhendi debeat aut possit.
Sed nonnulli coeuadunt miseriæ ut excæcari o-
dio & dementes ira palam autores sacratiss. re-
ligionis iam criminentur, Euangelistas simpli-
ces homines & Paulum superbam, dictu nefas,
beluam appellantes. Vident enim flagitia &
scelerata sua iam patifieri neq; magis posse tegi
& opinionem religionis cuancere. qua cum su-
stentata fuerint omnia commoda dignatcsq;
ipsorum & hæc ruere & ipsos conuelltibus
irasci necesse est. Itaq; aliqui in proximos, ut
Canes icti in saxa impetum faciunt, & doctores
Veri

Veritatis odio prosequuntur, aliqui etiam ipsam ueritatem execrantur ut certiss. caussam aduersorum.

Iam etiam à non paucis accusantur Euanga-
elicí quasi dirimant societatem nominis Chri-
stiani. & caritatem fraternalm violent, atq; ita
Deum ipsum qui caritas est, lèdant, & cætera
quæ memorantur inuidiose, faciant. His respon-
di uere potest, societatem conseruari & carita-
tem custodiri max. à repugnantibus mendacijs
& defensoribus ueritatis. Neq; lentiorem iusta-
neq; uehementiorem esse decet, inquit Gregori-
us. ut uel facilitate cum omnibus consentiamus ^{EIGHVIX}
uel importunitate ab omnibus dissideamus. pari ḡ.
ter enim tarditas actionibus & agilitas coniun-
ctionibus obstat. Verum cum impictas manife-
sta fuerit, cum igne, ferro, temporibus, potenti-
bus, deniq; uniuersis potius conflictabimur, quā
participes fiamus fermenti proui & assentia-
mur improbis. Neq; quicquam omnium tanto-
pere extimescendum est, quam ne ullius timor
Dei timore nobis potior fuisse reperiatur, ad
prodictionem doctrinæ fiduci & ueritatis, cū nos
seruire ueritati profiteamur. hæc ille. An autem
minora sunt hæc de quibus nunc controuertitur
illis pro quibus Gregorius dimicat? Non agitur

de lana, ut dicitur caprina, Sed lis est de Christi
anismo, de puritate doctrinæ, desanctitate uitæ.

At turbant hæ disputationes statum publi-
cum, Immo ille nutat et ruinam minatur iam pri-
dem, idq; multis retro sœculis qui indicaret sem-
per aliqui reperti sunt, qui tanquam patefacto-
res detrimentorum communium odio habiti &
exagitati atq; è medio quoq; sublati fuerunt, fa-
cicntibus similiter ijs quorum mala tangeretur
uel ut uulgas solet, qui ægrefuerunt suam sibi tur-
pitudinem demonstrari, uel ut pueri qui in mor-
bis medicinam auersantur tanquam contraria-
am.

Nunc uero ea est labefactatio status ecclæ-
siastici, tanta morbi deformitas ut in omniū ocu-
los & sermones incurrat. Et tamen hunc tueri
malunt quam instaurandi medicandiq; rationem
circumspicere.

Scripsit quidam Astrologus, τίνω κεκπι-
σθε δύθερον πόλεμον, Declarari uarietate
quam non certa sit doctrina Luteri. Quæ igitur
est in doctrina obsecro uarietas? Consentia-
unt enim uniuersi in uera & ueteri & orthodo-
xorum patrum fide. Hic igitur ab artificio suo
recessit, & tamen dixit id quod aduersarij iacti-
tant, intuentes in quasdam discessiones & exter-
narum

marum obseruationum diuersos quasi colores.
Qui si pannos suos aspicerent non exprobarent
uestes laceras alijs. Nam nihil est dissimilius quam
ipsorum tradita inter se, nihil magis uariu[m] quam
commenta monachorum, deniq[ue] nihil plenius
aduersationum quam scripta ipsorum. id quod
res indicat, & decretorum, ut vocant, capitibus
contrarijs à quodam expositis declaratum nu-
per fuit.

Frustra inquiunt nituntur hæretici euerte-
re Petri nauiculam. omnino frustra, illamq[ue]; re-
get & seruabit in seuis, tempestatib. Christus.
Sed qui conantur cuertere? Nunc quidem con-
spirantes quodammodo Mahometani & impij
ecclesiastici, illi armis & ui bellica manifesti ho-
stes fidei Christianæ, hi prætexentes nomen fi-
dei & specie defensorum, mendacijs & errori-
bus ueritatem atq[ue] simplicitatem doctrinæ ob-
ruere conantes. Non enim de Petro hoc, cu-
ius successione necquam gloriatur Papa,
sed de nauicula Petri dicitur. Si de illa qua uen-
etus tum fuit cum procellæ tantæ orirentur qui-
bus iam mergi incipiebat, computruit ante mul-
ta sœcula. Sim de Petri fide & firmissima rupe
confessionis ipsius Tu es filius dei uini, Vehitur
bac nauis Euangelicorum ecclesia, & defende-

C S tur

tur non modo aduersus Mahometanos & Papi
sticos insultus sed etiam aduersus portas infe-
ri à filio dei domino nostro Iesu Christo, cui sit
laus & honor & gloria in æternum.

Excitemur omnes de somno, uel de ueter-
no potius quo diu consopiti iacuimus. Nemo er-
ret Deus non irridetur. Doctrinæ Christi qui
missus à patre in hunc mundum oboediens illi re-
pertus est usq; ad mortem, mortem autem cru-
cis, negotium agitur. Hæc pura & sincera ut sit
laboratur. De qua prœconium diuinum toti or-
bi terrarum innotuit. Hic est filius meus dilec-
tus hunc audite.

Non credamus litem
esse de statu aut regno quodam Christianis-
mi in terris. Etsi uita etiam Christianorum or-
dine carere non debet. Sed hic repurgata do-
ctrina & emendatis erroribus & sublata impie-
tate facile constituetur. Tum enim officium se-
quuntur caritatis quæ non suspicatur, est patiēs,
obsequiosa &c. Tū in uno corpore multo erit
melius quasi membrorum concinnitatem perpe-
tuam esse, quam secedendo in condemnatione
præmatura autoritatem amittere. Quare non
potius cōsiderantur ea quæ dicūtur cōtra uitia
ecclesiastica, quam impudenter exagitantur? Si
enim mala sunt emendatio queratur, Si nō sunt
mala

mala, ostendatur bonitas. Vbi uero illa? neq; in
doctrina neq; in uita uspiam reperietur. Neque
fecerunt quidam neq; faciunt ad hoc nonnulli af-
fentatores potentum, κακοήθες συκοφάνται,
aliud, quam quod confusa prius magis confun-
dunt, & pergunt turbare porro ut ille in comœ-
dia seruulus. Quanto erat hoc melius sic cogita-
re. Reprehenditur doctrina nostra, accusatur
uita, exploremus diligentius, ut si falso argua-
mur ueritate refutare calumnias possumus. Si in
uero, nos existimemus esse autores accusatiois
et criminū quorū sunt uitia. Ab improbis enim
insectationi occasio præbetur, Non facit illos
castigatio malos. Nunc proposita non uerita-
te sed χριστοῖο ταλάντοις caussa mirabili cō-
tentione agitur. dumq; quærit quisq; præmium
mercri maxime strenuum sc errorum patronū
præbet. Nugatur quidam posse pontifices strin-
gere ensem cum res postularit. Exemplo Petri
qui amputauerit aurem seruo Pontificis. Hæc
sunt illa quibus ex stultis insani fiunt. audiunt
enim omnes libenter ea probare alios quæ faci-
unt. Sed rem spectemus. Petrus dimicat non se
defendens sed Christum. et audit tamen hoc, qui
gladium sumit, gladio perit. prohibeturq; usur-
pare id quod ei concessum non sit. Nec ille tamē
pugna-

pugnabat tum ut apostolus. Sed Petri exemplū
si usq; adeo placet quare non & pescatoriam
excercent. Verū hic allegoria probatur ut sint
pescatores hominum.

Vt inā patientur se exorari ij qui occuparūt
quasi regnū in ecclesia, ne malint omnia in sum-
mum discrimen per maximum scelus impietatis
adducere quam concedentibus omnibus poten-
tiam & opes retinere, & Euangeliū cursum nō
impedire sed ueritatem doctrinæ & admittere
& defendere, licet illi opulēti sint, licet regnēt,
licet implicatos habeant reges & principes so-
cietati & amicitiæ suæ, ut Arrianos quondam
accepimus, non tamen freti uiribus suis oppone-
re se debent Deo omni humanæ certe præstan-
tiæ potiori. Quod si utriq; qui iam de dogma-
tis pugnant Christiani esse & perhiberi se uo-
lunt, Cur obsecro libertas non pariter utriq;
parti conceditur? Cur una alteram quasi seruā
tacere iubet? cur non dat libertatem fandi, ut in
quit poëta, flatusq; remittit in repræhensione
iusta? Cur statim ijs qui contra uoluntatē suam
uel hiscere audēt, irascitur, minatur, infensa est?
Cur argumenta contumeliam, monita intermi-
nationem, medicinam ictus, appellat? Cur perse-
quitur communis Christi nomen celebrantes,

Mor-

Mortem Christi annunciantes, resurrectionem
prædicantes, ipsum Christum sedentem ad de-
xteram patris adorantes, & expectantes uentis
rum ad iudicium uiuorum & mortuorum, hos
igitur illa pars altera cur persegitur? crudeli-
us poenæ quam Turcica manus inimica Christo
& sitiens sanguinis nostri, qui forte ab eo Chri-
sto quem & illi uerbis confitentur Deum esse
& saluatorem, re negant, ad vindictam impie-
tis suscitantur. Magna res agitur. non potest fie-
ri ut sic abeat hæc tempestas. quare cōsilio pru-
dente opus est, ut malum aliqua saltem ex parte
uitetur.

Profanata iam pridem est religio. Eccle-
sie sanctiss. nomen turpitudini prætensum. sacra
menta peruersa. Violata sacrificia. Quorum
omnium caput Doctrinæ depravatio, Veritatis
oppressio, mendaciorum autoritas. Hinc enim
fluxit primum supersticio, deinde licentia, pas-
sim omnium flagitorum & scelerum inua-
luit.

Multi queruntur sacra uasa in usus pro-
fanos conuerti. Nihil dico nunc de his rebus, ne
que bonus quisquam rapinas approbat, & suè
cuiq; facti ratio est reddenda. Sed quid sceleris
hoc sit, aurum & argentum superuacaneum ad
Reipub:

Reipublicæ necessarios usus conuertere? omnino hoc tolerabilius, quam illud per fraudes & fallacias detestabiles colligere de sudorib. pauperum in quos erogari conueniebat, & extrahere quasi in mercatu impietatis, ad decus & famiam nominis Christiani. Consideremus enim uestitus pompasq; illas sacerorum & quæramus ad quod genus cultus diuini pertineat. Sed hæc relinquamus.

Gregorius saepe grauiss. queritur de Ari anorum iniurijs, qui pios adiuti Regum armis crudeliter presserint. Qui ecclesiæ dissiparint. Altaria occisorum sanguine macularint. Quid diceret si nunc reuiuisceret & hanc deformitatem & Tyrannidem in ecclesia cerneret?

Non profecto illam nefariam super altari saltationem unius adolescentis impuri, deplovareret, sed detestaretur cotidianam istam ingluviem, hcu mihi horresco referens, celestispanis. & execrandam impuritatem qua altaria sorde scunt, & iam religione consecratam impietatem extremam, quæ à multis milibus ad eam conduxit uili pecuniola exercetur.

Prædictum est fore ut porcis aliquando obijciatur panis mysticus. Si uere aliqua barbaries hoc fecerit, immane id quidem, sed quid in illo

illo deterius quam hac cotidiana distractione,
cum a toties milibus porcinis faucibus hominum
immundicia fatentium et impietate glorianti-
um, corpus Christi corripitur.

Ne quæso ne dicite neu cogitate uos qui do-
minationem in ecclesia hæc tenus tenuistis, id qd'
olm Arriani, quemadmodum Gregorius expo-
suit, his uerbis. Nobis mœnia et muri sunt. No-
bis theatra. Nobis regiae, porticus præclaræ et
ingentes forum refertum, populus fluctib. ma-
ris conferendus. Nobilium virorum celerri-
mum cōsilium. Quibus addantur sane hæc pro-
rerum et temporum natura. Nostra illa sunt in-
cunabula imperij. Nos urbem Romam tenemus
et fluuium Tiberim. Nos terram et maria in
potestate habemus. Hæc igitur et similia ne di-
cite. Non sunt enim maiora hæc quam fuerunt
quondam Babilonica, quæ ubi nunc sunt?

Quid est autem absurdius quam eos qui
unum deum et unum Christum se colere dicant,
hoc modo diuidi, ut pars una suam magnitudi-
nem suum splendorem iactiter, altera paruitate
sua contenta esse prohibetur? Ergo ne hos hu-
miles Christicolas interimi par est, Quod non
sunt potentes, non dominantur ciuitatibus et na-
tionibus, non urbes et mœnia parant. Nō equa-
stres

stres pedestresq; copias habent, non machinis
bellicis instructi sunt. Non certaminibus, nō ue-
nationibus indulgent. Non delicijs omnis gene-
ris student. non ad uoluptates & securitatē ter-
rena & marina conuertunt. Non diuitijs super-
biunt. Nō redditus supputant annuos diurnosq;.
Non moles ad sidera attollunt. Non patinarias
struunt struices.

Immo hoc cogitetur & hoc dicatur. Vnū
est commune celum omnium. communis solis ac
lunæ ambitus. Communis siderum positus atque
ordo. Communis diei & noctis exæquatio &
commoditas. Una est terra mater omnium & se-
pulcrum, Ad quā pariter reuertemur uniuersi.
Præterea communis lex, prophetæ, doctrina,
Communes Christi cruciatus quibus de integro
facti et ut ita dicam recreati sumus. Nō quidem
ut aiunt, hic quidem, ille uero minime, sed uni-
uersi, quotquot à ueteri Adamo progenerati, à
serpente seducti, per peccatum morti addicti,
& à celesti Adamo conseruati, & ad lignum ui-
tæ unde repulsi eramus, per lignum infamiæ re-
ducti fuimus. Cum factus fuit filius Dei omnia
pro nobis peccato excepto, immo absq; pecca-
to, factus etiam peccatum fuit & execratio, ut
nos liberaret à peccato & execratione.

Quod

Quod si quibus potior est principatus, et
carius solium, et opulentia, dignitas, honor græ-
tior, pietate & fide in Christum, Quomodo fa-
cere poterunt aliter Christiani quam ut illos de-
serant & fugiant aduersarios domini sui? labo-
factatur tali discessione status ecclesiasticus, fa-
teor, sed Christianismus stabilitur. Turbatur
apud homines, cum Dco pax est & quies. Homi-
nes offenduntur, Colitur Deus. contra hominum
uoluntatem docetur fides & ueritas.

Quid autem in hac tanta animorum alicua-
tione in hac uitæ turbulentia, omnium rerum
confusione futurum sit, Deus nouit, Quid fieri
oporteat bonos, pios, Christianos, Reipub. &
patriæ amantes, diligenter considerare, facere,
exequi, uel saltem uelle decet atq; dolere quod
nihil possint proficere studio suo.

Habet Italia, Hispania, Germania, Gallia,
Britannia immo iam quoq; ultimæ terræ atq; re-
motæ insulæ bonos, pios, eruditos, doctos uiros,
hos saltem uoluntatibus & animis consentire et
conspirare par fuerit & pro uirili parte suare
bus laborantibus succurrere, ob oculos posita
non ullius commoditate, emolumentis, præstan-
tia, sed Dei solius gloria uerboq; ex Christi no-
mine.

D Reliquit

Reliquit Eccius post se l brum uanitatis et
furoris, plenum quasi foecorem quendam mori-
ens. Qui si ipsius iussu editus est, factum hoc fu-
it pariter ut alia ab illo in uita pene omnia, im-
pudenter, audacter, temere, stulte, rabiose. Si in
amici in memoriam illius hunc euulgarunt male
profecto consu'uerunt famæ hominis. Scripse-
re & alij scribunt q; multa, contra animi sui con-
scientiam pugnantes pro ijs quæ neq; faciunt ne-
q; fieri possunt, neq; ipsi omnino probat. Qua-
si, qui rem inuoluere atq; ueritatem obscurare
possit, ei palma debeatur.

Tali modo si negotium gerendum esse ui-
debitur, Quis non uidet paulo prudentior qui
exitus sperandi sint. Omnia clamant & uocise-
rantur tantum non uoce emissa, pertæsum esse
Deum talis cultus, talis uitæ, talis religionis. Nō
uelle diutius pati profanationem nominis sui,
contaminationem uerbi, oppressiōem ecclesiæ.
Mutationem impendere etiam impij nō stultiss.
neq; incogitantis animaduertunt. Quæ enim
signa dant & hominum facinora & rerum ca-
sus, quam certa quam congruentia cum aliorū
temporum & natura & cuentis? Quid? porten-
ta memorem quæ animos etiam imperitorum
comouere atq; commonere solent. Non igitur
nos

nos marinas undas excurrisse, cognouimus? non
ne terram esse concussam? nonne fluuios muta-
se cursus suos? Nonne pluuias, procellas, tempe-
states calamitosas sensimus? Nonne solis lunaeq;
defectiones, ignium in celo ardores & flamma-
rum uolatus crebro uidimus? flagrarunt mon-
tes, desedit solum, fragores horrendi audit, in
nubibus effigies uariæ conspectæ, ab hominibus
& bestijs monstra partu multiplicia edita, Re-
ges, principes, populi commoti sunt, Hæc quid
significant qui non intelligunt eos, ut simpliciter
dicam, dementes esse iudico.

Atq; inter hæc prudentibus patriæ salutē
& sua etiam commoda curæ esse, ut uenientibus
malis occurrerent & illa si non auerxi prorsus
possent, saltem ut leniretur, operam dare opor-
tebat. Pijs autem & quibus Christi nomen cor-
di est, uel fortunarum atq; capitis sui periculo
refragabuntur mendacijs & impietati. Si nihil
poterunt proficere, fugient tanquam despera-
tis rebus & consortium relinquunt hostiū Chri-
sti. Atq; prostrati in magno metu & horrore
intuentes in iram diuinam prouocatam pecca-
tis nostris & framcam aspicientes, quam ille iā
stringit in contumaces & immorigeros, contre-
miscent & in conscientia propriæ immundiciae

atq; peccatorum quasi capita obuoluentes expē
etabunt exitum, et ut possunt misericordia Dei,
quæ terram opplet, se se consolabuntur. Vcl po-
tius benignitatem considerantes & patientiam
et χριστήτα & φιλανθρωπίαν æterni Dei,
erigent se ut ausit quisq; confiteri & orare hoc
modo, quo multo in mmore miseria grandinis
se orasse scribit Gregorius. Peccauimus, legem
& pietatem negleximus, oblii mandatorū tuo-
rum, secutiq; cogitationes nostras malas, indis-
gna fuit administratio nostra, uocatione nostra
& Evangelio Christi tui, & cruciatibus & eua-
cuatione pro nobis illius. Probro fuimus dile-
cto tuo. Tam sacerdotes quam populus pariter
aberrarunt. Una defleximus, simul inutiles facti
sumus. Non est qui ius & iusticiam exequatur,
ne unus quidem. Exclusimus misericordiam &
benignitatem & uiscera miserationis Dei nostri
per improbitatem studiorū nostrorum in qui-
bus uersati fuimus. Tu quidem bonus es, sed nos
mandatis tuis non paruimus. Tu patiens, At nos
uerbera meriti sumus. Nota nobis est bonitas
tua quamvis simus desipientes. Mitiora sunt fla-
gra quam pro delictis. Tu terribilis es, Ecquis
resistere tibi poterit? A te montes contrcmis-
cent. Aduersus magnitudinem brachij tui quis
nitetur?

mitetur? Si tu celum claudas, quis aperiet. Si soluas catarractas tuos quis continebit? facile est in oculis tuis facere pauperes & diuites. Viuiscare & mortificare, scrire & sanare. Tuaq; uoluntas plane effectio est. Tu iratus fuisti & nos peccauimus, inquit in confessione sua quidam ex ueteribus. Ego uero hoc tempore contrarium recte dicere possum. Nos peccauimus & tu iratus fuisti. Ideoq; facti sumus opprobrium uicinius nostris. Auertisti uultum tuum & repleti fui mus ignominia. Verum o domine, quiesce, remitte dñe, placare dñe. Ne picias nos penitus propter sclera nostra. Neue nostris alios crudias flagris, cum possumus nos per aliorum supplicia ad sanitatem mentium reuocari. Quorū uero? Gentium qui te non norunt. & regnorum quæ tuæ potentiae nolunt esse subiecta. Nos autem populus tuus, Domine, & uirga hereditatis tuæ. Quare castigato quidem nos, sed benigne, non iracunde, ne ad paucitatem nos redigas, ut pro nihilo ducamus ab uniuersis incolis terræ.

LECTORI.

Cum hæc perfecisset describendo librarius, nuntiatum fuit synodum esse dissolutam. Mi-
D 3 rati

rati fuerunt quidam illam tam uehementem
& seueram indictiōem in tantam leuitatem eua-
dere potuisse. *δε χαριεντες*, euentū iocis eti-
am exagitarunt, & fertur cuiusdam admodum
belle in teutonica lingua dictum, quo interroga-
tis ubi synodus celebretur, cum responsio oppi-
Das cō- di Tridentini nomen memoret, hoc dicitur, es-
cilij ist se illam dissipatam. *Quid nunc cogitare cæsarē*
zu trend opt. principem, ut hactenus se gesit, uerisimile
est? *Quid cæteros quibus toties iam afferunt à*
Sanctiss. hæc fallacia? *Quid Deū ipsum ad hos*
ludos & has delicias quas faciunt de uerbo suo?
Tu ne edictionum synodarum toties promul-
gator, audes nunc in ipso rerum discrimine om-
nium expectationem, tuam asseuerationem, Deū
ipsum atq; homines fallere, & illudere Religio-
ni Christianæ? Sed hæc curæ crunt ijs quibus es-
se debent, præsertim Dco & illa uidenti & uin-
dici contemptus sui. *Nos uero, cum constet pas-*
sim aut ignorari capita de quibus potiss. contro-
uertitur, aut ueteres errores eleuari, quos etiam
nonnulli iam interpretatione callida defendere
nituntur, frustra quidam, prodit enim se se uoce
cuculus, Sed nos his de cauſis ante quidem edi-
ta capita quædam controuersiæ nunc repeten-
da duximus, ut omnes qui uoluerint possint co-
gnoscere,

gnoscere, & certaminis huius magnitudinem,
& Euangelicorum pietatem & aduersariorum
impietatem. deniq; ueritatem ipsam oppositam
uanitati. Verum iam ipsam doctrinam ambo-
rum audiamus.

EXPOSITIO ταξιδίων CAPI-
tum doctrinæ Euangelicæ & Papisticæ,
teutonice aliquando edita et nunc
interpretatione Latina
propagata.

Caput primum De fide in Ie-
sum Christum.

Euangelij doctores prædicant merita Chri-
sti, hoc modo. Deus pater misericordia ineffabi-
li motu, misit in hunc mundum unigenitum fili-
um suum Iesum Christum dominum nostrum,
qui offerretur pro peccatis nostris ad delendū
peccatum, & mortē æternam. Addūt q; sit hæc
sempiterna & immutabilis uoluntas Dei, ut cre-
damus in Deum patrem & eum quem misit Ie-
sum Christum, per quem & in quo solo uera cō-
tingat remissio omnibus credentibus peccatorū
fuorum, acceptis in gratiam Dei, propter meri-

D 4 tanon

ea non propria sed aliena domini nostri Iesu Christi, iustificatis fide non operibus suis. promittitur enim diuinitus omnibus credentibus in Christum remissio peccatorū, salus & uita sempererna, quæ accipi aliter quam fide non possunt.

Contra hæc nō modo non prædicant beneficia dei papistici, neq; fidei doctrinam excercant, sed etiam contra fidem introducunt dubitationes de remissione peccatorum. Iam Christo debitum cultū & honorem ipsi attribuunt operibus. Remissionemq; peccatorum perhibent quosq; suis meritis consequi, & pro illis satisfacere operibus suis posse. Quæ est extrema blasphemia in Christum, & miserarum conscientiarum carnificina atq; crux.

Caput II. de Inuocatione Dei & precibus.

Euangelium docet inuocandum esse deum in fide, id est certa persuasiōe exauditurum nos illum propter Christum, uictatq; dubitare de uoluntate illius erga nos reconciliatos illi in Christo Iesu.

Papistici, inuocare quidem afflictos & ipsi

ipſi Deum docent, ſed neq; ſimpliciter in Chriſto, neq; fideliter, ſed cum trepidatione & hæſi tanter, non aliter quam Turcæ & Iudæi illum inuocant, incerti de uolūtate erga ſe ipſius. Hic utrum Christianus ſit cultus, an magis Iudaicus & Turcicus, iudicent omnes qui uolent, etiam ipſi Papistici, non prorsus odio cæci atq; furentes.

Cap. III. de bonis operibus.

Secundum Euangeliſ doctrinam nulla ſunt bona opera neq; deo placentes actiōes, niſi quas ipſe Deus fieri mandauit. Cuiusmodi ſunt, Time re Deum. Fidere Deo. Amare, Confiteri, Prædicare, Inuocare in aduersis, Laudare Deum, Gra tias agere Deo, Eius uerbum proclaimando amplificare, diligentiam, fidemq; præſtare tam magistratus quam priuatos in tota uita ſua, ad laudem Dei, secundum leges & præſcriptionē de calogi.

At Papistici fingunt singularia opera, peculiaremq; introducūt cultum, ſine uerbo Dei. Quales ſunt ſectæ Monachorum, discriminacioniborum, habitus uestiuū, prohibitio coniugij &c. Et hæc opera collocat supra mandata dei quaſi honoratiore in loco, perfectionis nomine illa

D S oræ

ornantes, plurisq; facientes munere doctrina
uerbi Dei, matrimonio, administratione Reip.
educatione liberorum &c. & perniciosa in-
troducing superstitionem, ueritatemq; infus-
scantes uerbi dei.

Cap. IIII. Quomodo accepta sint
bona opera Dco.

Evangeliū ostendit bona opera quamvis
imperfecta in hac uita, placere tamen Deo. Si-
militer quamvis sancti peccatis nunquam peni-
tus careant, acceptam tamen esse Deo obœdien-
tiam inchoatam, agnoscētibus nobis imbecillia-
tatem nostram, & luctantib. perpetuo cum ui-
tijs, in certa persuasione esse hunc cultum gra-
tiss. Deo, cum non pecudes sed nostram carnem
mactantes illum colimus, nō autem hoc propter
macerationem aut opus aut deuotionem nostrā,
sed propter merita & gratiam Christi, Qui
est mediator, & per quem offeruntur nostra
opera Deo.

Papistici in sanctis peccatum remanere ne-
gant in hac quoq; uita. Immo posse etiam mai-
ora & præstantiora opera fieri quā ea sint quæ
Deus mandauit. Et monent tamen ne quis præsus

m48

mat se placere Deo, dubitariq; semper oportet
re docent de uoluntate eius. Qui error ut pessi-
mus & impietate plenissimus, ita usq; adeo con-
firmatus est, ut prope inemendabilis esse uideat-
tur.

Cap. V. de Inuocatione
sanctorum.

Euangelium iubet inuocare nos in omnib;
malis opem numinis, Vnius Dei, patris, & filij,
& Spiritus sancti. Et precum nostrarum inter-
pretem esse solam Christum mediatorem inter-
deum & homines, propter quem illas exaudiri
credere debeamus, neq; dubitare quicquam de
benignitate Dei, neq; alium patronū querere,
neq; alium aditum circumspicere. Neq; ulli cre-
aturae tribuere id quod soli Deo debetur.

Papisticum est dogma, inuocandos esse
sanctos martyres & alios mortuos, per quos
reddatur nobis propitius deus, & quorum me-
ritis placatus ad nos respiciat, iramq; suam à no-
bis auertat &c. Hæc multipliciter fucare et pal-
liare nituntur. sed reuera manet semper impia
hæc & idolatriæ inuocatio, blasphemias in de-
um referta. Iniuria atrocis plena erga sanguinē
& mortem Christi.

Caput

Cap. VI. De cultu sanctorum.

Evangeliū docet sanctos qui in fide Christi defuncti sunt, Esse cum Christo, quos suscitat̄ turus ille sit ad uitam æternam in die iudicij. Mā nereq; in communitate hac omnes, siue uiuāt seu moriantur. Cultus autem est memoria fidei illorum qua deum glorificarunt.

Monachismus papisticus Numinia ethnica facit de sanctis impia doctrina sua. & curationes alijs alias attribuit. ut equestrib. copijs præficientes Georgium. diuersorij Julianum. Vicenç Urbanum. Scolasticam rebus perditis. Annam facultatum copijs. Alios alijs functionibus. Et in missas illorum suffragia & intercessiones impie admiscent. et statuas more veterum ethni corum in templis ponunt, & lectisternia instruunt, manifestam idolatriam excercentes per abominabilem & extremam impietatem. Quid de reliquijs & adoratione uenerationeq; ossium dicamus? quæ qui potest defendat. sed prius alba in nigra uertentur.

Cap. VII. De uero usu sacramenti corporis & sanguinis Christi.

Euan-

*Euangelium docet In conuentu ecclesiastis
eo & congregatis fidelibus, celebrandam esse
communicationem corporis & sanguinis Iesu
Christi, uescentibus aliquibus pane dominico et
bibentibus poculum. Id est sumentibus corpus
& sanguinem Christi. Non offerentibus pro
alijs aut ad aliorum salutem applicantibus, Sed
ad memoriam domini nostri Iesu Christi, quem=*
*admodum ipse hoc fieri præcepit. Ut reminiscæ
mur cruciatuum & mortis ipsius, Necnon gra-
tiæ nobis promissæ & conciliatæ, quæ nulli po-
test applicari aliter quam propria ipsius recor-
datione et fide, credenti cū hoc testimonio Chri-
sto, quod reputetur ab ipso & habeatur pro
membro corporis ecclesiastici cuius caput est
Christus, quodq; purificatus sit sanguine Chri-
sti effuso in cruce. pro quibus beneficijs gratias
uniuersi agere semper debent.*

*Quid Papistici aduersarij euangelicæ do-
ctrinæ, Quid? Quæratur hoc de omnibus sacri-
ficulis istis atq; Monachis. Dicent sacrificium
esse Missam pro uiuis & mortuis. docebunt me-
reri hoc sibi opere per operatiōem ipsam Mis-
satores remissionem peccatorum, itemq; alijs tā
uiuentibus quam mortuis. Necnon cōferre Mis-
sationem fortunam prosperam & felices succes-
sus*

sus in omnib. reb. Hinc factum est ut missationes
co-ducerentur ad oēs inceptiones & qualem cūq;
spem, ut q; ueluti merces quedam in nūdimis pro
ponerentur, ut emeret qui uellet. Addidere his
ipso Missæ opere omnia hæc præstari siue pius
sit missator seu non sit. Item disputando proba-
re uoluerunt, Vnam missam pro pluribus cele-
bratam non esse tam efficacis meriti, ac si singu-
la celebrentur pro singulis.

Cap. VII I. De Veneratione sacramenti
Corporis & sanguinis Christi
& usu illius.

Vsus sacramenti est disertis uerbis à Chri-
sto institutus, ut non solum mirandum sed horri-
biler expauescendum sit, auctor fuisse ullos ho-
mines mutare præscriptionem uerbi Dei. Edca-
re corpus suum & bibere sanguinem suum om-
nes iubet Christus, & facere hoc in memoriam
sui. addit Paulus uenerationem, ut uescamur pa-
ne & sumamus poculum domini digne. Iam
constat sacramenta extra usum et terminos uer-
bi dei sine impietate nefaria non posse produci.
Quare manifestum fit quanta impietas in coti-
dianis innumerabilibus sacrificijs priuatarum
missarum,

missarum, quanta insit in pompa qua circumferatur & ostentatur panis consecratus, peruersa & violata ordinatione Christi, in idololatriæ et impij cultus diuini institutione. Una hæc temeritatis Papisticæ impietas, & impudens depravatio uerborum Christi, & scelerata uesania qua irritum reddiderunt testamentum Christi, satis superq; est, ad odium execrationemq; illorum. sed nunc quid ipsi doceant et agat memoremus non ut ignotum quicquam, sed ut mendaciorum contra ueritatem positorum turpitudo magis appareat.

Primum igitur ille silentio tegendus & celandus laicos ac mysticus canon, caput est impie tatis contrariæ uerbis Christi. Et est haud dubie hoc præcipuum ex ijs de quib. Christus uerbis Danielis uens locutus fuit, cum prædictis abominatione collocanda in templo Dei, deq; ueritate doctrinæ & cultus contaminatiōe uel potius uastatione. Christus enim ipse est sacerdos qui se obtulit pro peccatis nostris, & hac oblatione satisfecit pro omnibus etiam sanctis. Et nobis contingit remissio peccatorum fide, non opere missa oris. Quid quod purgatorium finixerunt in quod missæ meritum penetraret et animas educeret? Quid quod extra usum sacramentum

mentum hoc sine mandato dei & ad amoliendā
mala, ut incendiorum & exundationum, circū=
tulerunt, & spectandum atq; superstitione uene=
randum proposuerunt? Quid quod totam com=
municationem corporis & sanguinis Christi ad
peculiares singulorum abusus redegerunt? Nam
de mutilatione huius, & corruptione institutio=
nis Christi, quid dicam? In quibus quantum sit
impiæ temeritatis quis nō uidet? Cui tamen hāc
addunt audaciam quod prædicant se consulere
dignitati operis missarum ut hoc pluris fiat in
hac dissimilitudine, à laicis, ne cadem sit commu=
nicatio sacerdotum & reliquorum. distrahen=br/>tes atq; lacerantes in ipsius communicationis in=br/>stituto unitatem corporis Christi. Quæ nullis
uerbis satis grauiter accusari & atrociter res=br/>prehendi possunt.

Cap. I X. de pœnitentia.

Evangelium docet, in hominibus esse oportere seriam pœnitentiam & pauorem iræ Dei propter peccata. Sed addit consolationem conscientiae per promissiones Christi, in fide uere nobis remitti peccata per gratiam absq; proprijs meritis, propter Christum &c. Item consolat

Solatione per hanc fidem collata accipere nos
Spiritum sanctum &c.

Non exigit enumerationem peccatorum
in se creta confessione coram sacerdote, Et sim-
pliciter damnat scelerata mendacia de satisfacti-
one humana quibus gratia Christi & fides peni-
tus obscurantur.

Insuper docet quae sit uera & firma cōscien-
tiarū cōsolatio p Euāgeliū et absolutionē, Qua
nobis hoc subiicitur, Quod Euangeliū uere an-
nunciet remissionem peccatorum. Et quod hæc
annunciatio non modo uulgo ac passim prædica-
ri debeat, sed singulos hāc Euangelij uocem ad-
mittere & amplecti oportere, & teneri ad cre-
dendum, quod Euangelium sibi offerat atq; con-
ferat remissionem gratuitam peccatorum. hanc
salutarem absolutionis doctrinam, Papistici pla-
ne oblitarunt, ut mox patebit.

Docet & hoc, sequi debere pœnitentiam
et conuersionem fidei, inchoatam obœdientiam
mandatorum & legis Diuinæ, Eaq; esse bona
opera fidelium, quibus deus retribuat uaria do-
na & munera & beneficia, secundum id quo
scriptum est, Conuertimini ad me & ego con-
uertar ad uos.

Papistici uero & ipsi iactitant nomen pœ-
nitentia

nitentiæ, sed de uera pœnitentia nihil docent.
De fide, qua contingit credentibus remissio pec-
catorum, summum apud illos silentium est. Immo
dubitare homines iubent. atq; ita desperationis
magistri fiunt, & autores horribilium bla-
phemiarum contra promissiones dei, qui enim
à fide abducitur, ijs adducitur ad repræhensionem
ueritatis diuinæ. Ex his oritur persecutio
Euangelij fidei qua iustificamur et remissionem
consequimur peccatorum.

Iidem onerant conscientias mandato con-
fessionis & illaqueis implicant enumeratio-
nis peccatorum.

Tum deinde absolutioni efficaciam omnem
detrahunt, cum negat prodesse sine meritis præ-
cedentibus.

Præterea imponunt certorum operum ne-
cessitatem confessis, & humana autoritate præ-
scribunt rationem satisfaciendi pro peccatis, et
promerendæ liberationis à pœnis æternis.

Quod si nihil esset præterea, hæc sola satis
necessarias caussas complectentur, cur omnes
se à Papistico cœtu separare, & coniunctio-
nem doctrinamq; illorum fugere deberent. Exi-
tiosus enim & pestilens hic est error maxime,
falsa doctrina de pœnitentia, qua ecclesiam fi-
delium

delium seducere conantur ad cōfictas & emen
titas traditiones satisfactionū. Quid quod hæc
falsæ satisfactionis doctrina alij plurimi erro=
res confirmantur & augentur, ut suffragia mis=
serum pro uiuis & mortuis. Vota monachorū.
peregrinationes, indulgentiæ, purgatorium, de
quibus nimis longum esset hoc loco disputare,
& alibi demonstratum est plenissima esse hæc
omnia mendacijs, impietate, blasphemijis in De=
um.

Cap. X. de potestate
clavium.

Euangelium docet Claves esse commissio=
nem & autoratatem prædicandi beneficia Chri=
sti, annunciandi Euangelij, ministrādi sacra=
menta, castigandi eos qui in manifestis peccatis ui=
uant, ut audiant se non membra Christi sed dia=
boli, & damnatos esse nisi resipiscant. Item ab=
soluendi pœnitentes.

Non docet esse claves potestatem conden=
di traditiones humanas, occupandi regna & im=
peria terrena, excommunicatione abutendi ad=
quæstum & incrementa dominationis, & simi=
lis Tyrannidis instrumenta.

Papæ quantopere claves placuerint uel ex
E 2 eo in

eo intelligi potest, quod harū imagine insigniē
crunt Papisticos clipeos, Sed Christianas claves
Papa horribiliter adulterauit et contaminauit.
Primū enim uniuersae ecclesiae eripit uiolenter
potestatem legitimam, & asserit Clavium pote-
statem peculiariter esse papæ traditā, ut sit do-
minus & iudex omnium Ecclesiarum, Pastorū,
Episcoporum, Regum, deniq; orbis terrarum,
in sœcularibus & spiritualibus negotijs. Vult
omnes episcopos à se ius accipere exercendi
munceris sui. Annexit ad claves licentiam con-
dendi traditiones humanas, instituendi nouos
cultus diuinos. Solet per excommunicationem
terrenas ditiones acquirere. Reges stabilire &
euertere &c. Quæ omnia scelerate impia sunt.

Cap.XI. de Traditioni-
bus humanis.

Evangelium cultus diuinos, sine uerbo &
mandato Dei, institui prohibet. Atq; hæc audacia
& temeritas, opus aliquod comminiscendi
& Deo præstituendi quod ille non possit im-
probare, & alligare benignitatem & gratiam
ipsius ad tale opus uoluntarium, ingens est ini-
pietas & horibile peccatum, sed ita occultum

ut

ut pleriq; partim non perspiciant partim non
current.

Papa, Episcopi, Sacerdotes & Monachi
hoc caput uehementer urgent, nempe opera si=
nc uerbo et mandato Dei, electa ab hominibus,
esse singularem & sanctum cultū illius. pronun=
tiant hanc esse Christianismi perfectiōem. Item
perpetuis supplicijs addicunt transgressores
traditionum suarum. Tales enim pronuntiant es=
se amputata & reiectanea membra corporis
Christi, Seditiosos, hæreticos, schismaticos. Qui
bus inclementibus & saeuis uerbis compellunt
homines ad obseruationem superstitionis ope=
rum commentitiorum & inanum, In hac cæci=
tate mirabiles progresiones ad impietatem fa=
ctæ, & absurdæ semper aliqua absurditatis noui=
tate aucta fuerunt. Utq; ethnici quondam, Io=
uem, Martem, Iunonem, alios deos coluerunt,
Ita Papa, Episcopi, Monachi, commenti fuerūt
discrimina ciborum, uestium, coniugij interdi=
ctionem, ordines sacros, Imagines & titulos san=
ctorum, supplicationes, Ieiunia &c. In quibus
non modo id spectandum est quod fit atq; geri=
tur (ut carnibus uesci aut non uesci res est par=
ua) sed horum omnium fons & caput conside=
rabitur ac diligenter animaduertetur, Nempe

E 3 nolle

nolle Deum, ut nos cultum diuum institudamus
aut exerceamus, aut alijs proponamus, absq;
uerbo & mandato ipsius, Multo minus hæc ope-
ra sentiemus esse meritoria & satisfactoria pro
peccatis.

Aduersus errores hos clamat spiritus san-
ctus. Frustra colunt me mandatis hominum.
quare peccata in istas simulatas sanctitates &
hypocrises non sunt immiscenda. Et defensio ta-
lium obseruationum simplices facile seducit ad
opinionem cultus diuini.

At Papistici uolūt esse sapientiores & præte-
dūt cōsiderationē sœculi huius. præclarā esse rē
et pulcram sp̄eciem ordinationū & cōstitutionū
ecclesiasticarum. his ipsis utilem uel potius nece-
sariam disciplinam contineri. Oportere esse
quasdam rerum personarumq; differentias. præ-
latos, subditos, superiores, inferiores, primatū
quendam, & gradus potestatum. festiuitates cō-
seruandas temporum, & uestitus ciborumq; di-
scrimina. Itemq; alia quædam huius generis reli-
giose custodienda. Neq; negari potest, bellam
esse sp̄eciem harum ordinationum. Verum Deū
non posse pati neq; uelle certum est, ut homines
quasi in ditionē ipsius inuadant & regnum ip-
sius occupent. Ipse solus sibi cōdere cultus suos
uult.

uult. Non uult ut uerbum ipsius intueri & spe-
clare desinamus, & sequamur opinionum pro-
prierum commenta, unde maximi errores exi-
stere solent. Ad quantas enim Aegiptij absurdis-
tates devoluti fuerunt, cum feles & crocodilos
adorarunt? Atq; eo deferuntur ij qui remoto
uerbo Dei, hominum traditiones ornant.

Præterea non est obscurum quanto ponde-
re traditiones humanæ conscientias timidorum
presserint, quanto pauore cōpleuerint, quibus
laqueis impediuerint.

Cap. XI. de coniugio
sacerdotum.

Evangelium docet, Coniugium nulli
mortalium ad hoc idoneo interdicendum esse,
et facientium leges dæmoniorum appellat. Item
coniugium celebrat ut fidelium castitatem &
puritatem, utq; Deo gratum & acceptum. Item
vniuersos esse coniuges uult quibus coniugio
opus est, siue laici sint seu sacerdotes. 1. Chorin-
thio. 7. Et expresse loquitur Paulus de sacerdo-
tibus maritis. ad Titum 1.

Papa prohibuit uxores sacerdotibus con-
tra mandatum Dei. Qua lege horribilis impuri-
tas in mundum introducta & accumulata fuit.

E 4 Et si

*Et si autem ueteres quidam canones priuant of-
ficio sacerdotes qui uxores duxissent, Nunc ta-
men hos iugulat Papistica crudelitas atq; Ty-
rannis. Quæ peccata sunt immania, & certissi-
ma signa Antichristi, De quo Daniel ait, futu-
rum osorem mulierum. quo dicto significauit
odium coniugij & turpitudinem flagitorum.*

*Cap. XIII. de Monachismo &
uotis monasticis.*

*Vota & uita magna ex parte Monacho-
rum directe aduersantur Euangeliu, & uerbis
Dei. Monachismus enim fidem delet, & eripit
Christo gloriam ipsi debitam, & operibus hu-
manis attribuit. fингit propriæ electionis opera
esse cultus diuinos. Adigit ad Missationes, ad in-
uocationes sanctorum, ad adorationes imagi-
num, ad superstitiones obseruationes. Extollit
huiusmodi sanctimonias, ut appellant, supra ope-
ra & ordinationes Dei. Quibus omnibus con-
traria est Euangelij doctrina. Docent enim Mo-
nachi Sua uota mereri remissionem peccatorū.
Esse sanctimoniam & perfectionem corā Deo.
Mereri uitam æternam. Esse ordinem prophe-
tarum Heliæ & Heliæ. Cum tamen hi præda-
tores*

sores beneficiorum et praecones uerbi Dei, inq;
max. Et grauiss. negotijs uersari fuerint, parti-
cipes etiam administrationis Reip. Nequaquam
innitentes traditionibus hominum, sed uerbo
Dei. Cum contra Monachismus refertus sit men-
dacijs, Et idololatria in uita molli, Et tacite fla-
gitiosa. plena hypocrisi. Deniq; cum Monachi-
sti nihil aliud sint, quam barbaricæ cuiusdam
superstitionis antistites, Et familiæ, in eruditæ et
impiæ philosophiæ, si de horum stultitia Et ua-
gitate tam graui uerbo utendum est.

Cap. X I I I . de
peccato.

Euangelium docet non modo externa mœ-
la opera peccata, sed naturam humanam peni-
tus esse corruptam, ita ut dcum non uere time-
at, non illi credat, non eum diligat ex toto cor-
de Et c. Item scatere cupiditatibus repugnanti-
bus legi Dei. Quæ infirmitas uere peccatum est.
Rhom. 7.

Papistici docent cognatam inobedienti-
am Et inclinationem aduersus mandata Dei, nō
esse peccata. Ideoq; posse legi Dei ab hominib.
satisfieri. Atq; hoc modo obscurant doctrinam

E S pœni-

pœnitentia, & remissionis peccatorum.

Cap. XV. de discrimine legis
& Euangeli.

Summe necessaria est cognitio discriminis
inter legem & Euangelium, quemadmodum
Paulus explicuit. Rom. 3. & 7. Et 2. Corinth. 3.
Et est haec lux quædam quæ infertur cognitio-
ni uerbi Dei & toti scripturæ. Lex autem præ-
scribit & mandat facienda & omittenda. Exi-
git perfectam oboedientiam. castigat & accu-
sat omnes, sanctos quoq;. Non confert remissio-
nem peccatorum sine meritis. Non delet pecca-
tum neq; mortem. Euangelium uero ita prædi-
cat pœnitentiam, ut etiam consoletur afflitos,
& confert remissionem peccatorum gratuitam
sine nostris meritis propter Christum. Et incho-
at nouam ac æternam uitam, atq; spiritualem
cultum Dei &c. Verum tamen haec tanta & ta-
rdua capita hoc loco non explicabimus.

At Deum immortalem quæ est hoc loco
insania Papisticorum: omnia horum scripta ma-
nifeste tradunt, Esse triplicem legem, Naturæ,
Mosaicam, Euangeli. docent insuper unum-
quenq; suo tempore per obseruationem legis
sue

suæ saluum factum esse. Ignorant prorsus discrī-
men inter legem & Euangelium. postea stultas
imitationes quasi simiorum introducunt, Vo-
luntq; in Christianismo simile sacerdotium, si-
miles cæremonias, talia sacrificia institui opor-
tere, cuiusmodi Mosaica fuerint. super quod
fundamentum iam à quibusdam Missionum
defensio imponitur.

Cap. X V I. de peregrinationibus
ad loca sanctorum.

Euangelium docet Deum solum inuocan-
dum, ut supra diximus. Et huius cultum absq;
uerbo ipsius nulli loco aut tempori alligandum
esse, ut ait Christus Ioan 14. Quo minus senti-
endum est, Sanctos aliquos hic aut illic, iuxta
hunc stipitem aut illam imaginem, in hoc luco
aut illo monte, posse exaudire preces inuocanti-
um ipsos. hoc enim est omni potentiam minime
debitam tribuere sanctis.

Papistici docent Deum uelle apud certas
statuas picturasue magis esse propitium & be-
nignorem inuocantibus se. Hoc manifeste re-
pugnat uerbo Dei, quo imaginum cultus aper-
te prohibetur. postea attribuunt sanctis diuinā
potētē

potentiam, & prædicant gratiam atq; benefi-
centiam sanctorum in certis locis. Quæ est in-
dubitata idololatria, similis per omnia cultibus
ethnicorum Diana Ephesiæ, Iunonis Argiuæ,
Aesculapij Epidaurij. & similibus.

Cap. XVII. de pur-
gatorio.

Euangelium pronuntiat eos esse saluos qui
in domino defuncti sint. Item non esse fidem ha-
bendam laruis & lemuribus, et illis uisis noctur-
nis manium. Item Rom. 6. Corporc extincto fi-
delium sublatum peccatum est. Et Augustinus
Christum purgatorium, non ignem post mor-
tem esse dicit, de ciuitate lib. x. cap. 24.

Quapropter doctrina Papistica de purga-
torio suo tota est falsa & friuola, quæ perhibet
pro peccatis satisfactionem in igne purgatorio
deum perfici. Totam autem hanc fabulā stru-
xerunt super fundamento commenticæ satisfa-
ctionis. Hic stat illud antrū Trophonij, in quo
nundinæ missarum & mercatus salutis exerce-
tur. Hic ignis luculente illustrauit & calcfecit
Papismum. Quo & ipse, Deo uolente nunc con-
flagraturus est.

Caput

Cap. X VIII. de potestate
sœculari.

Euangelium iubet potestatem sœculi huius
ius punire delicta externa omnium subditorum
tam sacerdotum quam laicorum. Item debere
hanc tanquam ministram Ecclesiæ, idolatrias
delere. Et defendere ueram doctrinam et ues-
ros cultus Dei.

Papa uero sane sapienter liberauit se et su-
um coetum hac subiectione. ut libere possent ex-
ercere et scelerare nefaria et fœda flagitia.

Iam quis non uidet quanto opere aduerse-
tur Euangelicæ doctrinæ uendicata potentia,
et usurpatum ius statuendi et abrogandi quæ-
cunq; forte uoluerint.

Non igitur licet Regibus aut principibus
contra decreta Papistica, immo uoluntatem ter-
reni numinis, uel mutire. Quid enim est aliud
quod negat suffragijs illorū decerni quicquam
posse, id est non habere hos uoces decisivas? Nō
solum autem Papa hoc in errore ipse perseue-
rat, sed etiam iugulat eos à quibus reprehendi-
tur, Quare max. probant Papistici sese esse mi-
nistros diaboli, qui est et mendax et homici-
dæ. Iam si hoc quod Papa uocatur, Deus nō est,
sunt

Funt enim humani certe Papæ, quippe qui moridit= tur. Et si idem Homo non est, Quippe qui in angelis imperium habere se glorietur, Quid poterit esse nisi diabolus? Quapropter omnes p̄ij & fideles Christo & timentes Deū, ex animo & tōto cor de auertere se à Papisticis, Papismūq; odisse & execrari debent, Ut uerbo Dei obtemperare, & ueros cultus illius cognoscere & seruare possint Amen.

Si quis aliud Euangeliū docuerit anathema sit. Gal. i.

Fugite idolatriam. 1. Cor. 10.

Nolite errare Deus non irridetur. Gal. 6.

Ωντατὸς ὡς σοφίκτε κράτος γενήτορθέψει
Ωντεόθεν θέσιον τωνεῦμα προσρχόμενον
Τίεταιρ ωισμαίνην Δενδηνάκτεύαταιρωγή,
Η Ατέλθ μακεώντεποτε Δέξεταιριμ;
Πλέσθ Δηλούθεασοε αφόντεκτο οὐδενόσω
Σὸε λόγοε αρρήτοιε φεύδεσι φυρόμενοε (ροε
καὶ νῶν οἱ καθαρὰν Διμαχώντεντενόμα
Κηρύτσεσι λόπων τωντόθεν οὐρανίωρ
Τότης μισηθέντας ελαύνεσθ αὐτοὺς εἰρηνή,
Της Λάλας εὔμελη ταῖσθροντεμενέχει.
Ωντατὸς μεγάλη Δάναμος τίδε μάτε αὐτοὺς
Χεύδεσιμ αὐτούς ηνταντοικογθέσκ.

ΑΛΛΑ

Αλλὰ φοβεῖται οὐθεοντί φύσις, οὐχὶ καὶ εἰ πελούσιον
Εἰ δὲ αὐτῷ τῷ μηκανόμενῳ εὐσεβέας.
Δεινὴ δὲ σφετέροιο πελεύσιον ἐπέρχεται λέθρον,
Τῇστι ἀπελεύθετο λίγος ὁ μάλα τίσει.
Οργῆς γαφλεγέοστε δίκιοτε μέντοιον ἄλγος,
Φεῦγων τὸν εἴρην καίριον εἰσὶ φυγή.
Φεῦγε μακράν θυμοῖο θεῶν τούτοις ἀπίτεται παύσι
καὶ γένους ρίζαν κατέχεται Δενδροκόπος.
Αλλὰ σὺν δὲ θεός οἰκτίρμων σὸν ποιμνίον αῦτον
Θεία χειρὶ λίκων ρύσοις ἀφ' αἵμοσόρων,
Πηδῶντων λυσανδρίμενοφ καὶ πάντοθι οἱ λόχοι
Ωλόμεθαί συν θεός Βηνετοπολιστέμικρον
Αλλὰ παρακλητοῦ στήθι μακρῷ Δέπι παντὶ φυλάσσει
μήδε σὸν ἀλλοτρίοισι θόροις φύλεται κλέος
Ιλαθι μηδὲ γίγιδηται οὐ θεός αἰέντος πακνῆς
Οἶοιδηγήσεμεν σὺ λεγόμενα λεώφ.

In Græco carmine priore lege ἀλλ' εἰ Δή πρότερον:
Item, καὶ Δαῦδαν Βίοτ.

In epistola lege ἀκκιρόμεθα.

B. ultima lege ἐξαγόρθουσιμη.

EX OFFICINA
Iacobi Beruvaldi.

1543.

F 2695

ULB Halle
004 088 379

3



TA 7a

Der



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1

8
7
6
5
4
3
2
1

8
7
6
5
4
3
2
1

HOCLIE
O HAEC CON
TINENTVR,

DICA, ID EST, DE
ndicta Synodo, capita.

PRIMA.

SECUNDA.

TERTIA.

TRINAE DE RELI
one controversæ inter se
opposita capita.

TA INSUNT IN HOC
uis breui libello, que & instruc
e & confirmare possint ani
mos pioriæ. Tu sume,
lege, utere.

LIPSIAE

1543.

Baroque

